14 15 1.5.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
HÆMORRHOIDIBUS,

Quam

Divina Favente Gratia

DECRETO ET AUCTORITATE

MAGNIFICI ET GRATIOSISSIMI FACULTATIS MEDICÆ COLLEGII

In Celeberrima Argentoratensium Universitate

Pro

Summis in Arte Medica Honoribus & Privilegiis Doctoralibus ritè consequendis,

SOLENNI AC PLACIDO ERUDITORUM Examini submittit

JOHANNES HECKHELER,
Argentinensis.

Ad diem 4. ii. *Mensis Junii. M. DC. XCIII.*

ARGENTORATI,
Literis JOHANNIS WELPERI.

THESIS I.



Isputaturi de Hæmorrhoidibus NOMINIS rationem non insuper habendam esse putamus; & licet Nomenclatura neminem unquam servaverit, *Principium tamen doctrinæ nominum disquisitio est: Et qui nominum gnarus factus, gnarus etiam fit rerum.* Quod itaq; Ἐτυμολογίαν spectat, vox Αἱμοῤῥοῒς, origine Græca, sed quæ postea etiam in Civitatem latinam recepta est, deducitur παρὰ τοῦ αἵματος à sanguine, καὶ ῥέω fluo, seu à verbo αἱμοῤῥοέω, ῶ, sanguinem effundo vel sanguinis profluvio laboro; hinc MATTH *cap. 9 v. 20.* γυνὴ αἱμοῤῥοοῦσα dicitur mulier quæ sanguinis profluvio laborat, & αἱμόῤῥοος contr. αἱμόῤῥους nominatur quoque ea quæ menstrua patitur. Usitatum vero est, ut Αἱμοῤῥοΐδες plurali efferantur numero, quo subintelligantur φλέβαι, qs. dic. venæ sanguifluæ, sumpto nomine τῶν φλεβῶν more Veterum, qui sub venis & arterias comprehendebant. Dicuntur autem in plurali numero Αἱμοῤῥοΐδες, *quia*, ut REINER. SOLENANDER *Consilior. Medic. 20. sect. 4.* rationem reddit, *humoris vitio aut vasorum dispositione rarius una sola, sed frequenter plures simul sanguinem demittunt: tum etiam quod numerus atque discrimen sanguinem fundentium venarum loci incommoditate interstingui vix possint.*

§. II. Quod SYNONYMIAM concernit, appellantur Hæmorrhoides à MINDERERO *Medic. Milit. p. 264. &* GEORG. FRANCO *Disp. de Hæmorrhoidibus p. 1.* die Rücken-Ader / oder Rück-Ader idque vel propter bifurcationem illam vasorum (è quibus surculi ad anum producuntur) insignem in ultimis lumborum vertebris, vel propter mo-

 tum

tum iſtum & dolorem gravativum, quem inſtante fluxu, circa dorſum præcipue ſentiunt ægri. Communiter vero & uſitatius dicuntur, die Gölden-Ader/oder Gold-Ader/ dictæ forſitan ideo ob aureum & inſignem uſum, quem corpori præbet moderatus & tempeſtivus earum fluxus, tum φυλάξεως ſanitate præſente, tum προφυλάξεως, imminentibus morbis, tum θεραπείας, morbis actu affligentibus, ἕνεκα, vel forſan κατ' ἀντίφρασιν quaſi minime aureæ appellatæ, ob fœditatem & ſummam moleſtiam, quam ſecum habent conjunctam. Si ſunt apertæ & fluunt, tum audiunt der Blutfluß unter ſich / wann die Göldne Ader angeht/ oder der güldenen Aderfluß/ ſin vero occluſæ ſunt, & non fluunt, ſed tument, extuberant, ſive intus inpodice ſint, ſive foris promineant, à noſtris hominibus vocari conſuevere, ein Verſtopffung oder Aufflauffung der Gold-Ader. Quod ſi fœminis ob partus difficultatem obveniant, tum ab obſtetricibus Truckblattern appellari ſolent. A nonnullis etiam mariſcæ ſeu Feigwartzen dicuntur, ſed improprie & tropice, ac ſolum propter ſimilitudinem aliquam, quam cum mariſcis habent. Alias vocatur etiam hic Affectus, Hæmorrhagia Ani, item profluvium vel ſtillicidium Hæmorrhoidale, fluxus venarum ſeu vaſorum ſedalium, & quæ plura hujus rei ſunt nomina ſimilia.

§ III. Quoad HOMONYMIAM & multiplicem ſignificationem I. Generaliſſime notat quemcunque ſanguinis fluxum ex quacunque corporis parte prodeuntem, ſive is ſit à naribus, ſeu ore in vomitione cruenta & hæmoptyſi, ſeu alvo in dyſenteria, ſeu ex aliis partibus vulneratis, &c. qua & acceptione HIPPOCR. GALENUS aliique uſi ſunt. II. Sub Generali voce accipi quoque poteſt, pro tumore ad extremas venas anum ambiente, humoris ferè melancholici influxu excitato, varicum ſpeciem quandam præ ſe ferente, ut accepit PARÆUS *lib. 12. c. 24.* Hinc & BRUEL. *p. 157.* Hæmorrhoides venas factas varicoſas nominat; vel ſumitur pro inflatione, & pro velut dilatatione locali in ſede facta ut AETIUS *tetrab. 4. ſerm. 2. c. 5.* Unde & alii Medici, contra ipſam vim vocis Hæmorrhoides ut vaſa ſaltem in ſede tumentia, citraque ſanguinis effluxum protuberantia appellarunt. III. In ſpeciali acceptione ſumtum vocabulum denotat quibuſdam, ſanguinis profluvium ex venis ad anum podicemve exporrectis, item fluxum è vaſis uterinis, idque ob ſimilitu-

militudinem, quia easdem fere habet, quas & aliæ differentias, pariaque Symptomata inducere solet. Unde *hoc nomine* GALENUS ET CELSUS *tantum venas sedis & uteri Hæmorrhoidas appellarunt, forte per excellentiam ita nominantes, quod præ cæteris venæ tum ani tum uteri frequenter fundere sanguinem soleant*, ut suspicatur HIERON. FABRIC. AB AQUAPEND. *Operat. Chirurg. pag. m. 339.* Imo CÆLIUS AURELIANUS *l. 5. d. chron. S. tard. pass. c. 4. etiam in vesica Hæmorrhoides generari, quæ fluorem sanguinis præstent, quibusdam intervallis variatum*, statuit. IV. Specialissime & proprie vox τῶν Αἱμοῤῥοΐδων usurpatur de ipso sanguinis ex vasis ani profluvio, imo de vasis ipsis tam venosis specialiter sumptis, ut fecit GALENUS *comment. 4. aphor. 25.* quam arteriosis, (ut quidam recentiorum) tum internis quum externis. Nos hac in συζητήσει utemur significatione generali & specialissima. Alias vox Αἱμοῤῥοΐς tribuitur serpentis cujusdam generi eodem nomine propter effectum gaudentis, à quo demorsi profluvium sanguinis ex omnibus corporis partibus patiuntur, intraque paucum temporis spatium vita defunguntur, vid. JO. JONSTON. *Histor. Natural. lib. 1. Tit. 2. c. 1. art. 4.* hinc & cecinit LUCANUS: Impressit dentes Hæmorrhois aspera Tullo.

§. IV. Relicta Ὀνοματολογία rem ipsam considerabimus & quidem Immoderatum Hæmorrhoidum fluxum, qui sub Apertarum nomine alias venire solet; & Tumorem vasorum Ani, qui sub Hæmorrhoidum Cœcarum, clausarum & suppressarum voce alias exprimitur, & denique dolorem, qui affectibus hisce præcipue suppressis sæpe perpetuus adjunctus solet esse comes.

§. V. Ut autem totam rei essentiam statim ob oculos ponamus, ne videamur alias laternam in tergo nos gestare, in frontispicio talem Hæmorrhoidum Apertarum, suppeditamus DEFINITIONEM, quod sint *Sanguinis vel multi vel pauci, quantitate vel qualitate peccantis è vasis ani, ut plurimum cum virium prostratione, faciei pallore, aliisque symptomatibus conjuncta dejectio, à præternaturali vasorum istorum, vel per ἀναστόμωσιν, ἢ διάβρωσιν, ἢ διαίρεσιν, ἢ διαπήδησιν, apertione orta.* *Genus* in posita definitione est sanguinis è vasis Ani dejectio, hinc patet pertinere hoc genus mali ad tertiam præcipue τῶν συμπτωμάτων classem scil. excretorum & retentorum, respicimus enim ad ipsam materiam sc. sanguinem, qui ex hisce vasis fluit & à statu

naturali recedit, alii vero non ipſam excretionem, ſed excernendi actionem conſiderantes, ad primam claſſem referunt, ſc. ad actiones læſas, ſicque Genus hoc ceu complicatum eſt, ita ut ſymptoma primarium ab illis Actio læſa, Excretio vero ſecundarium ſtatuatur, v. DANIEL SENNERTUS *lib. 2. Inſtit. pr 3. ſect. 1. cap. 11.* Dicta autem ſanguinis vel multi vel pauci ex vaſis ani dejectio, ut eſſentiam affectus in genere, ita & in ſpecie *rationem* ejus *formalem* indigitat, ut ſcilicet pateat pro formalitate conſtituenda non ſemper generaliter poni poſſe nimium ſanguinis profluvium, quod enim in aliis profluviis, id & hic contingit, ut ſanguis jam in minori jam in majori quantitate nunc ἀτρόως confertim, nunc ſtillatim &c. ſaltem effluat; *Subjectum* innuitur per vaſa Ani, præcipue vero intelliguntur ipſæ venæ (non excluſis tamen arteriis, vid. §. 6.) quæ ſanguinem ex hac parte effundere ſolent. *Cauſa* eſt apertio eorundem quacunque ratione & modo eadem ſit facta. Suppreſſas vero ſeu Cœcas Hæmorrhoides ſub tali complectimur definitione, quod ſint *Tumor Vaſorum Ani à ſanguinis vel craſſi vel confertim irruentis affluxu & elabi conantis interceptione ob vaſorum occluſionem ortus, cum inſigni & exquiſito dolore conjunctus.* Harum Hæmorrhoidum *Ratio formalis Generiſque* locum obtinens eſt Tumor vaſorum Ani, ſeu dilatatio, inflatio, & intumeſcentia eorundem, unde quatenus tument referri debent ad Morbos organicos, ſc. magnitudinis ſpecialis pr. n. auctæ, quatenus vero vaſa humorum vel copia, vel craſſitie, vel viſciditate, infarcta & obſtructa ſunt, redigi poſſunt ſub morbis cavitatum atque meatuum. Alii dicunt eſſe morbum intemperiei cum materia & aucta magnitudine conjunctum, præcipue vero calidæ, id quod ex inflammatione ſuperveniente & ardoris vehementis ſenſu deducunt. Doloris ratione, ad ſymptomata læſarum actionum animalium in ſenſu tactus qui vulgo depravatus eſſe dicitur referri ſolet. *Cauſa eſt ſanguis* ſeu ſtricte ſic dictus, ſeu aliis humoribus permixtus præcipue craſſus, tenax & viſcidus.

§. VI. Pergimus ad ipſum SUBJECTUM, quod remote conſideratum eſt *Homo*, qui in pœnam peccatorum uti à variis aliis morbis, ita & Hæmorrhagia Ani juſtiſſime affligitur, dann/ ut Lib. *Eccleſiaſt.* cap. 38. v. 15. ait. Wer für ſeinem Schöpffer ſündiget/

sündiget/ der muß dem Artzt in die Hände kommen. Subjectum propinquius est extremum intestini recti seu Anus vel Podex, Adæquatum vero principale & Proximum Hæmorrhoidum subjectum sunt Vasa Ani seu sedis, quæ duplicia, *Arteriæ sc.* & *Venæ*, eæque tum internæ tum externæ. *Arteriæ Hæmorrhoidales internæ* intestinũ rectum suo nectare vivifico irrigantes, oriuntur è ramo arteriæ mesentericæ inferiori infra spermaticas juxta os sacrum enato, humiliorem mesenterii partem perreptando plurimisque ramis in sinistram coli partem & intestinum rectum distributo, denique ad podicem descendunt. *Externæ* autem ad intestini recti ora protensæ *arteriæ*, propagines sunt Hypogastricæ, quæ à ramis Iliacis ad regionem quintæ lumborum vertebræ è trunco arteriæ magnæ descendente provenientes, ad humiliorem ossis sacri sedem in vesicam ejusque cervicem, nec non in partes pudendas procedunt, atque quibusdam ramusculis ad podicem usque excurrunt. In viris etiam per penis duo corpora cava ad glandem deferuntur, in fœminis vero in uteri fundum ejusque cervicem numerosa sobole distribuuntur. *Venæ* vero, quæ à nonnullis κατ᾽ ἐξοχὴν Hæmorrhoidales audiunt, sunt etiam duplices, quarum *internæ*, quæ secundum recti intestini longitudinem progredientes, podicis interioribus magis partibus insertæ sunt, ut plurimum à sinistro, rarius à dextro ramo mesenterico, interdum à ramo splenico è vena Portæ utpote majore trunco oriuntur, seu ut ISBRANDUS DIEMERBR. *Anatom. l.7. cap. 1.* verius mavult loqui, in eam inseruntur, sanguinemque in eam velut parvi quidam rivuli è montibus & fontibus aquam primi excipientes ad fluminis alveum deferunt, ingeruntque. *Externæ*, quæ in extrema recti intestini ora externa propagantur, oriuntur è venæ Cavæ trunci descendentis ramis Iliacis circa quintam lumborum vertebram prope ossis sacri principium sitis, & quidem è ramusculo ipsius inde producto hypogastrico, è quo etiam rami in penem & vesicam in Viris, in mulieribus vero nonnulli ductus in vesicam, plures vero in uteri fundum ejusque collum inseruntur, derivatur etiam exinde vena pudenda, & quæ etiam ad musculum Clunium & intestinum rectum; hinc ex Etmüll. p. m. 152. sententia facile patet, cum

hæc vaſa ipſius ani & vaſa menſtrualia uteri oriantur ex uno trunco, quare nonnunquam imo ſæpius in mulieribus defectus menſtruationis compenſetur per fluxum Hæmorrhoidum.

§. VII. Specialius, quodnam principale ſit ſubjectum & Pars affecta, ſi quæras ab illis, qui veterum ſententiis ſcholæque ſunt addicti, en tibi pro reſponſione præſto erunt ſolæ venæ, quas in omnibus ſanguinis profluviis ut primarios Auctores primariumque ſubjectum inculpabunt. In recentiorum contra caſtris militantes increpant arterias potius quam venas, quibus etiam unice acceptum ferunt hoc ſanguinis profluvium, innixi ſanguinis palindromia Harveiana, v. GEORG. FRANC. *diſſert. de Hæmorrhoidibus p. m. 7. Siquidem per ſolas arterias pulſu ſanguis ad partes pervenit promiſcue abſque ulla electione, qui ſi detur exitus, profluit, ubicunque demum ſit*, & JOH. DOLÆUS *Encyclop. lib. 3. c. 10.* ait. *Nos tamen ſæpiſſime arterias, rariſſime vero hoc in affectu* (tum in apertis minusque fluentibus, quum in cœcis atque, tumentibus Hæmorrhoidibus) *venas* ἀναςόμωσιν vel διάβρωσιν καὶ ῥῆξιν *pati audacter affirmamus, oſcula enim venarum utique à materia acri aliqua erodi poſſunt, ita ut tam effundatur, quam retrogrediatur verſus Cor ſanguis à parte refluus.* Nos ſepoſito omni partium ſtudio, ſolius veritatis amore, nec ſtricte recentiorum opinionibus addicti, nec venerandæ antiquitatis placita repudiantes, hæc ambo conjungendo aſſerimus, ſubjectum horum affectuum Hæmorrhoidum nomine venientium, venas æque eſſe atque arterias, imo venas frequentius quam arterias, inducti eò, cum JO. CHRISTIANO FROMMANNO *Tract. de Hæmorrh. part. 1. probl 7.* & LAURENTII STRAUSSII *Palæſtr. Med. part. 3.* γυμνάσμ. *9. p. m. 209.* ob ſequentes rationes, I. Venarum ſubſtantia tenuis eſt ſimplex & mollis; arteriarum autem denſa, dura, craſſa, firma, neque adeo facile extenſibilis atque dilatabilis, adeoque nec ita facile reſerantur, ut venæ, quas proinde externæ cauſæ, ut equitatio longa, curſus, deambulatio frequens, egerendi conatus fortis facilius ſollicitant, quam arterias, quæ ipſis venis ſemper craſſiores, quod ſane impedit, quo minus in tantum tumorem, qui in Hæmorrhoidibus cœcis quandoque conſpicitur, elevari queant. II. Venarum ſitus declivioris pronitas, ſanguis enim craſſior ob gravitatem deorſum

tendens

tendens, exitum quærit, quem si aliquando non invenit, sanguis tum ibi subsistens ac stagnans tumorem in venis & Hæmorrhoides cæcas infert. Hoc etiam fieri videmus in femorum & crurum venis varicosis, item in prægnantium venis uterinis præter modum ad digiti crassitiem usque sæpe distentis, quæ sponte sua nonnunquam rumpuntur, aperiuntur, sanguinemque in eo contentum effundunt, uti multoties vidisse se refert BAUSCH. *Tract. de Hæmat. p. 26.* & STRAUSS. *l. c.* etiam non semel observavit. III. Venæ hac in parte sicut reliquæ pariter in corpore magis prominent & in conspectū veniunt, arteriæ contra sub ipsis venis & cute magis delitescunt. IV. Tanta sanguinis crassi & glutinosi, &c. copia, in arteriis non reperitur, uti in venis, quæ illas sic distendere possit, arteriarum quippe sanguis præ venoso longe magis abundat spirituositate serositate, tenuitate, & fluiditate. V. Sanguis ex venis guttatim magis stillatimque fluit, non per saltum, nec ita floridus uti ex arteriis, quod in aliis hæmorrhagiis, mensium lochiorumque fluxu quoque fieri videmus, noruntque & nostræ mulierculæ sanguinem ex arteriis vel venis fluentem discernere, cum illius fluxum appellant. Das Hertz Geblüt geht an. VI. addo, quod si ex arteriis tam frequenter flueret sanguis vel in iis stagnaret, tum dolor etiam pulsatorius frequentius adesset, qualis tamen sæpe non sentitur. VII. Licet hic sanguinis effluxus è venis secundum eorum suppositum, fiat contra sanguinis naturalem motum, tamen non ideo statim via hæc excretionis est explodenda. Quippe evacuationes hæ per venas in magnis naturæ luctibus fieri possunt, mutato aut permutato sanguinis cursu, dum medicamento irritante, & humore à sanguine separato & unito, ad excretionem omnes intendit nervos, viamque brevissimam adoritur. Motus etiam ille naturæ in humorum expulsione est præternaturam & violentus viamque non semper illi consuetam quærit, sæpiusque & aliæ actiones naturales naturæ necessitati cedunt, ut in vomitu. VIII. denique, cum sponte iterum vasa coalescant facile, verosimile censemus, in fluxu nimio venas magis quam arterias pati, redeunte quippe per venas ad Cor sanguine, non tam urgebitur fasta ista apertio, quam si in arteriis contigisset, ubi sanguis semper novus quasi subsequitur, & diastolen arteriarum ac

sanguinis

ſanguinis majorem effluxum continuare ſolet. vid. STRAUSS. *Pal. M. p. 3.* KYPERUS *Anthrop. p. 469.* HIGHMORUS *l. 1. pr 2. c. 6.* WHARTONUS *Adenogr. c. 11. p. 42.* LINDEN. *Med. Phyſ. p. 817.* SEBIZIUS *Exercit. Pathol. p. 443.* SCHENCKIUS *Exercit. Anatom. V. l. 1. §. 2 c. 15. & in Schol. part. C. H. pt. 3. c. 2. p. 227.* CONRING. *de generat. ſanguinis & motu aliique.* Interea manet Argumentum firmum, quod protulit FROMMANN. *l. c. p. 39 Quæcunque venæ ob ſanguinem illapſum tument, & cum reſerantur, ſanguinem contentum fundunt, eæ etiam ex ſe proxime & immediate ſanguinem eundem fundunt, & per conſequens per eas quoque fit fluxus ſanguineus. Atqui Venæ Hæmorrhoidales, ob ſanguinem illapſum tument, & cum reſerantur, ſanguinem contentum fundunt. Ergo Venæ Hæmorrhoidales ex ſe proxime & immediate ſanguinem eundem fundunt, & per conſequens per eas quoque fit fluxus ſanguineus.*

§. VIII. CAUSA PROXIMA ET IMMEDIATA eſt *Apertio Vaſorum Ani* ſeu dilatatio eorundem qualiſcunque, à quocunque vel ſtimulo, vel re irritante &c. orta, quo ipſo innuitur, poſſe hanc Apertionem conſiderari ceu morbum, reducendo eam ad ſecundam morborum differentiam eſſentialem compoſitionis, ſeu conformationis, & quidem ad meatuum dilatationem, ſive ad tertiam, nempe ſolutam unitatem, quam hoc ſymptoma ſc. Effluxus ſanguinis ſequitur. Apertio autem iſta fit vel per ἀναςόμωσιν, ubi oſcula vaſorum aperiuntur & dilatantur propter repletionem nimiam vaſorum ab abundantia ſanguinis ortam, item ob fluxilitatem, tenuitatem, aquoſitatem & acrimoniam vel ſanguinis vel ſeri nimii affluentis, qua fibrarum & partium tonus laxatur, vaſaque imbecilla fiunt, ita ut ſanguis ſua tenuitate facile orificia vaſorum permeet & aperiat; contingit quoque id ob ſanguinem ebullientem, febriliter quaſi efferveſcentem, cumque impetu ſe moventem & turgeſcentem, ita ut ordinariis vaſis & receptaculis contineri amplius nequeat, quin capillarium vaſorum orificia aperiendo, erumpat; vel fit per ἀναστόμωσιν, quando per vaſa æquabilis ſanguinis circulus per arterias in venas interrumpitur, ita ut æqualis vel per arterias diſtributio vel ex arteriis in venas transvaſatio impediatur, idque ob ſpasmum fibrarum nervoſarum, tam ipſorum vaſorum ſanguifico-

guificorum, quam partium vaſa recipientium, quo quaſi ſpaſmo & convulſione fibrarum earundem motricum ſanguis hic correptus propter continuandum circulationis filum erumpere cogitur. Vel fit per διάβρωσιν eroſionem, ſi ab humoribus ſalſis acribus, ut à lympha nimis acri vel acida vel acido ſalſa, vel ſanguine aggeſto & mora acriore facto, orificia vaſorum eroduntur; vel per διαίρεσιν ἢ ῥῆξιν diſſectionem ſeu ruptionem quando à cauſa aliqua violenta, imprimis externa vulnerante, incidente, pungente, rumpente, tendente, veluti ab equitatione ſuccuſſoria, vectione violenta, difficili fœcum alvinarum excretione, vel ſanguine nimis turgente & affluente, viæ iſtæ & meatus aperiuntur; vel denique per διαπήδησιν ſeu tranſudationem, quando tunicæ vaſorum ita rareſiunt molles fiunt & laxantur, ut ſanguis vel alii humores attenuati & aquoſi nimis ac ſubtiles perfluant & quaſi tranſudare poſſint. Hic vero modus quamvis ſuas pati videatur difficultates, & à quibusdam in dubium plane vocetur, tamen cum præter adjuvantem vaſorum diſpoſitionem peculiarem, nonnulla occurrant φαινόμενα, quæ eundem ſatis probabilem reddant, & non omnem humorum tranſſudationem negandam eſſe evincant, etiam non eſt, ut à trita hactenus via ſecedamus, vid. STRAUSS. *l. c. pr. 1. γυμν. 22. §. 5.*

§. IX. In Hæmorrhoidibus Cœcis CAUSAM PROXIMAM dicimus eſſe, *Sanguinis elabi conantis interceptionem, ſtagnationem, ſuppreſſionem & denegatum tranſitum*, ita ut materia humoralis etſi ad eas feratur, excerni tamen non poſſit; ſed ibidem retineatur & moleſtiam creet, aut vitio viarum tranſmiſſioni repugnantium ob earundem anguſtiam, cum ſcilicet vel obſtruuntur à materia viſcida, fœculenta, lenta, craſſa, tenaci, pituitoſa mucilaginoſave ſeu à frigore imprimis inſpiſſata, ſeu ab acido coagulata, aut denique fieri poteſt propter fibrarum partis contractionem ac criſpationem, indeque natam porulorum partis anguſtiam & copioſiorem ſolito ſpirituum animalium influxum, è dolore ſeu doloroſa partis affectione imprimis enatam; aut comprimuntur vel ob tumorem vicinarum partium imprimis muſculi ſphincteris, vel ob fœces alvinas duriores, diutiusque retentas, vel ab incumbentibus aliis quibuſcunque; conſtringuntur

 itidem

itidem; vel à callo seu cicatrice post solutæ unitatis morbum, vulnus nempe vel ulcus relicta, vel ab aliquo duro scirrhosoq; tumore podicis, orificia vasorum coarctata sanguini exituro remoram injiciunt; aut propter humoris ipsius ad transeundum ineptitudinem, vel ob sui crassitiem, vel ob ineptitudinem admotum & defectum turgescentiæ foras non erumpit; sanguis quippe crassus, lentus viscidus, partibus terrestribus, fixis & tartareis abundans, particulisque volatilioribus, tenuibus, serosis & fermentaceis orbatus, circulationique minus aptus, accedente clausura osculorum vasorum ani, per partium meatus ac poros & per vasa minima subtiliaque difficulter permeans, inque suo motu impeditus partibus incuneatus quasi, dum regredi non potest per venas, sed in iis retentus, cumulatus, exitumque quem quærit non inveniens subsistit, stagnat, stagnandove venæ extremitatem, magis minusve, prout copia vel qualitas sanguinis est, dilatat, & tumorem nunc majorem nunc minorem nunc magis minusve dolorificum, his vel aliis symptomatibus conjunctum infert; quod illis, quibus nunquam adhuc Hæmorrhoides fluxerunt, si natura eas movere conetur, in principio, quia oscula nunquam illis prius aperta fuerunt, nonnunquam evenit, &c.

§. X. Cum autem ob tumorem distentionemque partium, ob inflammationem præterea sæpe conjunctam, & partis exquisitum sensum, acerbissimus & maximus quandoque oriatur dolor, qui magnitudine sua omnes curationis intentiones primario ad se trahat, è re videtur, & breviter ejus Caussam & subjectum exponere. *Causa* ergo *Proxima* dolorem inferens est, ipsa continui solutio confertim & cum impetu agens, ita ut objectum improportionatum fibras partis affectæ earumque poros & interstitia subeundo violenter divellat, distendat, distrahat, spiritusque animales ibi hospitantes in varios, inordinatos, & rapidiores motus cieat, qui deinde hunc ab objecto impressionis dolorificæ specificum motum modumve cerebro hincque animæ dijudicandum deferunt. Continuum autem istarum partium solvit, omne id, quod eas premit, erodit, pungit, vellicat, lacerat, secat, perforat, distendit, sive istud sit humor, seu vapor vel flatus, seu externum aliud quid. *Subjectum* Doloris sunt partes ani exquisito & acuto tactus sensu præditæ, quales sunt membra-

membranosæ ac nervosæ, & imprimis musculosa sphincteris substantia, cui vasa & nervi plurimi sunt inserti. Huic enim parti, ut loquitur WILLIS *in Nervor. Descript. & Usus. cap. 27. p.m. 392.* quasi nunquam ipsi satis provisum esset, præter Nervos ab utroque plexu proxime superiore huc missos, atque has extremas Paris intercostalis productiones eidem impensas, etiam ramus ac fibræ quædam à Nervo vertebrali inseruntur, nervus enim è radice vigesimi octavi & vigesimi noni paris vertebralis in sphincterem & reliquos ani musculos est insertus. Unde cum tam plures nervorum funiculi eique tenuissimi huic parti sint implantati, etiam non mirum est, cur tam facile ab objecto quovis improportionato lædatur doloremque patiatur.

§. IX. CAUSAS MEDIATAS PROXIMIORES easque internas in ipsa Massa sanguinea investigandas & quærendas esse, è dictis jam, & adhuc dicendis satis manifestum erit; Antiquiores enim non solum, sed & recentiores, qui Naturam reverenter habent, eique obsequuntur, ad Humores potissimum respiciunt, ut sicubi vitium contraxerint, eos corrigant, ad naturalem crasin quantum possibile redigant, eorum coctionem, sequestrationem, distributionem, eliminationemque adjuvent. Itaque in causa sæpe est ipse sanguis abundans; è victu pleniore, otio, consuetis evacuationibus suppressis, constitutioneq; corporis calida & humida, &c. ortus; qui in tantum augetur inque vasis sæpe cumulatur, ut in iis amplius contineri nequeat, quin à natura sanguis prius ad partem hanc ablegatus, foras proscribatur; vel causa etiam est, sanguinis vel puri, vel impuri nimia quantitas circa sedis vasa, ob suppressum sanguinem alias evacuari per Hæmorrhoides consuetum congesta, acrimonia concepta, subito venas aperiens, magna vi erumpens; idque vel ob peregrina admista fermenta, vel ob heterogeneum aliquid ac non miscibile sanguini confusum ac incongruum & indomabile, vel ob particulas Sulphureas nimis copiosas accensas, & solutas, vel ob salinas nimis evectas & in fluorem actas, vel ob cruoris compagem nimis rarefactam & solutam, & relaxatam & quasi venenatam, circulationis filo continuando imparem factam; vel ob internum conceptum fervorem, febrili quasi turgescentia & effervescentia ebulliens, huc impetuosius sanguis appulsus propter nimiâ partis distentionem

tionem clauſtra perrumpendo pro vario ipſius ὀργάσμου nunc impetuoſius & copioſius nunc minus & mitius effluit naturæ noſtræ theſaurus optimus. Pariter nimiam copiam & excedentem ſanguinis quantitatem in cauſa quoque eſſe ut ſuppreſſio Hæmorrhoidum inducatur non immerito ſuſpicari licet, à copia quippe iſta ſanguinis uberius hic hærente vaſculis præter modum diſtentis repletiſque impedimentum atque remora injicitur ſanguinis motui, dum in majoribus vaſis promotus ſanguis, in minoribus vaſis & capillaribus poris ac meatibus ſeu vaſculis impeditus, nec à minimarum venarum ramulis & eorum porulis haud abſorptus, forſan textura idonea privatus, ſed in minimis relictus, ſtagnatione ſua partem in tumorem admodum dolentem extollendo, Hæmorrhoidum cœcarum auctor eſt. Imprimis tamen in cauſa eſt ſanguis crudus, craſſus, impurus, viſcidus. tenax, lentus, fœculentus, cacochymicus, minus mobilis, & ſale volatili ac ſulphure debito minus prædictus, ſed è partibus ſalinis magis fixis, acidis atque terreis conſtans; indiſpoſitus ad turgeſcentiam debitam & orgaſmum ac fermentationem, vaſa non ita libere, ſed lento tardoque motu, vi quaſi & vehementia propulſus, percurrens, nec expedite per ea circulans, facile in parte quadam jam debili ſtagnat, & excrementitias humiditates & craſſam glutinoſam ac viſcidam impuritatem ibi defigens & lateribus portiones lentas affigens, ani partem vaſa præprimis deſubito gravat ac ita debilitat, ut utile ab inutili, purum ab impuro, tenue à craſſo &c. nec ſequeſtrari poſſit, unde ſanguinis depravatio ac excrementorum pr. n. collectio & redundantia magis magiſque ſuccreſcit, ita ut hujus ratione & vaſa graviter obſtruantur, diſtendantur, dilatenturve, & ipſa vis conſtringens adeo infringatur, ut in expulſione ſuperflui & noxii hujus ſanguinis ſuo munere fungi non amplius valeat.

§. XII. Sed Cauſas nobis inquirentibus & contemplaturis variæ hypotheſes ſeſe offerunt. Veteres enim Medici Hippocrates & imprimis Galenus ejuſque aſſeclæ ſub ſchemate Humorum plerorumq; imo fere omnium morborũ αἰτιολογίαν propoſuerunt, & horum ἀκρασίας inordinationes &c. juxta primarum duntaxat qualitatum exceſſus, mediante illa ſanguinis, Bilis,

Pituitæ

Pituitæ & Melancholiæ quaternione in apricum deducere allaborarunt. Sic enim Hippocrates libr. de Hæmorrhoidibus sect. VI. p. m. 913. scribit. *Bilis aut Pituita ad Venas, quæ in ano sunt decumbens, sanguinem, qui in his est, calefacit*, morbosque Hæmorrhoidum excitat. Nec abludit à ratione. Bilis enim quia natura est calida, acris, amara, salsa ac sulphurea, vim habet irritandi, exituique sanguinem præparandi, unde ob bilem prædominantem ii qui biliosi vel cholerici aut in intensiore aut remissiore gradu sunt, magis Hæmorrhoidibus sunt subjecti quam alii. Tinctum quoque à bile serum viride conspicuumque flavedine quandoque sanguinem excernere eos, qui Hæmorrhoidibus decumbunt, norunt Practici, uti FONSECA *T. 1. Cons. 27. p. 178.* meminit Viri cujusdam, qui hoc genus mali perpessus est à sanguine acri & bilioso. An Pituita vel potius Pituitosus quispiam humor seu sanguis hic peccet, ut loqui mavult DANIEL SENNERTUS *Instit. l. 2, pr. 2. c. 4.* in controversiam quis vocare posset, nisi experientia id refelleret: αὐτοψίᾳ enim constat, loco sanguinis reliquis humoribus contradistincti, interdum effluere alios excrementitios fœculentosque succos, interdum albidos, aquosos nonnihil, viscidos, mucosos, mucositatesque alias & impuritates. Jo. GEORG GREISEL, *quippe uti videre est in Theophili Boneti Medicina septentrionali Collatitia lib. 3. sect. 11. cap. 11.* notat. *Virum 49. annorum perpetuo valetudinarium, cui post purgationem majalem, Hæmorrhoides ut aperire curaret, consultum fuit, quibus apertis, exivit materia instar spermatis ranarum ad libras decem, cum jactura tamen virium, convaluit ab hoc momento, liberatusque fuit à suo diuturno morbo & millenis aliis accidentibus.* Similiter vidit PAULUS DE SORBAIT *Medic. Pract. Tr. 1. c. 68. ex Hæmorrhoidibus externis per sanguisugas duas vere mensuras materiæ cujusdam instar spermatis ranarum fluxisse & patientem à longissimis malis, flatibus sc. continuis doloribus aliisque symptomatibus liberatum fuisse.* Imo alii, non sanguinem, sed albidum humorem, nequaquam purulentum è vasis exprimi observarunt. vide *Miscellan. A. N. C. Ann. 1. obs. 75. p. 180.* Et SCHNEIDERUS *de Catarh. l. 3. c. 7. p. 270.* ut mucus cum sanguine ad renes, ita quoque ut excludatur, ad venas Hæmorrhoidales pervenire statuit. JOHAN. RHODIUS

Cent. III observ. 72. in Cœnobita pruritu ſicco atque difficili diu vexato ſanguinem è venis Hæmorrhoidalibus adeo pituitoſum evocatum fuiſſe, ait, *ut præter tantillum ſeri nullum ſanguinem referret.* Notante quoque HØECHSTETTER. Viro cuidam nobili à febre continua, glutinoſus ichor frequens non ſine faſtidio anum perreptavit, podicem ſemper tenacitate humectans & induſium maculans, ut rigeret, ac ſi amyli diluto madidum eſſet. Unde ſi materia talis pituitoſa eique ſimilis per Hæmorrhoides ſæpius excreta viſa, eorumque beneficio morbi pituitoſi ſecundum HERCUL SAXON. *in Præl. Pract. pr. 2. c. 23. p. 219.* ſanati ſint, tunc ſequitur Pituitam etiam iſtam Hæmorrhoidum cauſam extitiſſe. Serum quoque vel juſto copioſius vel acrius vel tenuius, vel aliis humoribus ſtimulantibus, particuliſque ſalſis & corroſivis & irritantibus præditum ad excretionem Hæmorrhoidalem, naturam irritando, ſtimulum præbet haud exiguum, referente enim D. PETRO CHRISTOPH. Stockhauſen *in Diſput. Inaugural de Hæmorrh. Helmſtad. Ann. 70. § 31.* D. Theodorus Conerdingius ſcribit, ſe in Arthritico graviter decumbente vehementes Hæmorrhoidum dolores cum tumore obortos notaſſe; intra paucas horas apertione ſponte facta, limpidiſſimum ſerum ad plures libras effluxiſſe, tam acre & corroſivum, ut partes madefactas corroſerit & excoriarit. Fluxum quoque Hæmorrhoidum ichorodem plane & quaſi ſuppuratum ſe bis omnino obſervaſſe ſcribit WELSCH. *in obſ. Medic. Phyſ. 98.* Suppreſſionis Hæmorrhoidum cauſam quoque ſerum eſſe, notat PETR. POTERIUS *Cent. 2. cur. 63.* in illuſtri Domino annos 45. nato, à nonnullis menſibus catarrhum ſalſum circa genitalia & anum paſſo, cui à datis inopportune remediis, Hæmorrhoides dolorificæ cum aliis graviſſimis Symptomatibus concitatæ ſint; pondus aſſerto huic addit THOMAS BARTHOLINUS *Cent. 4. Hiſt. 56.* notans Juvenem, cui per tredecim ~~dies~~ dies ab obſtructione meatuum urinariorum ſuppreſſo lotio, venæ omnes corporis à ſero intumuerunt, ut varus crederetur, & ruptionis videretur imminere periculum. At percurato medicamentis diureticis lotio, ceſſavit venarum diſtenſio & metus rupturæ. Suppreſſionis etiam cauſa ſerum eſt ſi deficiat, id eſt, ſi in debita quantitate non adſit, vel fœculentiis limoſitatibus & impu-

impuritatibus salinis fixis, terreis, & tartareis infarctum, quo sanguis evadit spissus, lentus & ad circulandum inidoneus, in viscera inde partesque, meatus vasaque, quæ transit fœculentias suas deponit, intraque vasorum parietes conclusæ, & impactæ subsistentes & remanentes obstructionem & tumorem inferunt. Devolvimur tandem ad Melancholicum Humorem, seu Fœculentias Tartareas Terrestresque uti recentiores loqui malunt; pro eo siquidem stetit HIPPOCRATES *L. 6. Epidem. s. 24. tx* & GALENUS *comment. in h. l.* aliique imo stetit tota Antiquitas, faciunt quoque pro eo recentiores, sed cum invidiosum ipsis sit nomen melancholicum, arguunt loco istius fœculentias suas limositatesque, &c. in sanguine existentes, ut modo dictum. Αὐτοψία autem non destituitur hæc ipsa opinio, cum videamus sæpe sanguinem nigrum, crassum, fœculentum, grumosumque hic evacuari, morborumque Melancholicorum Hæmorrhoidali hoc fluxu fieri terminationem. Sic HÆCHSTETTER *Decad. II. Cas. 2. in Schol.* vidit Fœminam quadraginta annorum numero multo majorem cui, menstruis declinantibus & corpore cacochymico existente, fluxus non liquidus sed grumosus fuit; & eodem loco, notat Nobilem matronam, quæ sanguinem dejecit copiosum, grumosum simplicem & nonnunquam stercore coinquinatum, &c. pariter Patritius quispiam Augustanus materiam dejecit colore liquidam, cruentam, cum sanguinis grumis, coloris nigri, &c. Grumos cruoris rejectos fuisse testantur quoque CORB. *Pathol. l. 2. s. 4. c. 12.* FERNEL. *l. 6. Pathol. c. 10.* & SALMUTH. *Cent. 1. observ. 73.* meminit Hæmorrhoidum grumosarum, in seipso seu frusti sanguinis concreti palmam æquantis, subsequutis aliis & minoribus frustulis, excreti.

§. XIII. Flatus, quos Helmontius negare & é foro Medico proscribere allaborat, & Hæmorrhoides excitare posse cum veneranda Antiquitate statuimus, si enim varices, præeunte nobis D. D. MELCHIORE SEBIZIO *in Specul. Medic. Pract. T. 2. p. 2027.* à Flatibus oriuntur, quidni & Hæmorrhoidales venas à flatibus intumescere posse asseramus. vid. SOPHRON. KOZACK *l. c. l. 2. c. 11.* ZACUT. LUSIT. *Medic. Hist. l. 2. c. p. 775.* Et CRATO *consil. apud Scholtz. p. 308. 329.* Unde natura, pro-

vitæ

vida iſta & ſagax mater, vias ſibi commodas, apertas, & cuniculos utiles & abſconditos quærit & novit, per quos inimicum, humores ſc. & vapores extrudere deponere & expurgare tuto poſſit. Huic itaque, ut SCHNEIDER. *d. catarrh. l 3. c. 7. p. 271.* ait fidendum erit in multis, cum in paucis eam aſſequamur.

§. XIV. Si recentiores evolvere datum eſſet, & quarundam particularium ſententiarum examen inſtituere animus eſſet, quod tamen inſtituti noſtri ratio non permittit, videremus plurimos Auctorum in verbis ſolum diſcrepare, non vero in ipſa re. PARACELSVM ſi evolvis, nihil aliud ſingulare in ipſius ſcriptis pro cauſa Hæmorrhoidum deprehendes, quam illud, quod *Schol. l. 6.* §. afferat. Sanguinem Hæmorrhoidum facere morbum lepræ ſimilem; & ſicuti in fluxu hepatico ita & hic ſalia ſua ſylveſtria acria in ſero ſeu Latice, liquefactionem ſanguinis efficientia accuſant Paracelſiſtæ. HELMONTIVS vero *Libr. Pylor. Rect inſcript. N. 18.* & quem ſequitur. OSWALDVS GREMBS *Arb. integr. & ruin homin. l. 2. c. 1. §. 5. n. 74.* Fluxum Hæmorrhoidalem fieri exiſtimant, ſi Fel & Pylorus non bene conſentiant, & cruor ſuper juſtum terminum detineatur, vel ſi transmutata ſextæ digeſtionis transferantur in primam. Cauſa ergo juxta ipſum eſt Diſſenſus Fellis & Pylori, & ut DOLÆVS *l. c. l. 3 c. 10.* in Hæmorrhoidibus non ſemper, quotidie, aut ubivis, ſed duntaxat circa venas cruorem, bonum alioqui, maligniari, deturpariqne, iis locis & non antea ipſe exiſtimat, in ſplene enim antea degener eſt cruor, & ad ultimum ani mittitur. Quid vero de Helmontii & Grembſii hac opinione ſit ſentiendum, exponit JO. CHRISTIANVS FROMMANNVS *Tractat. de Hæmorrhoidibus part. 1. probl. 21.* Chymici ad ſalia ſua volatilia acria & corrodentia in ſanguine contenta recurrentes, varium iſtum apertionis vaſorum modum longe evidentius oſtendere conantur. Imo quidam omnes hæmorrhagias, quæcunque à cauſis fiunt internis, variis ſalibus ſua debere natalia, ita & Hæmorrhoidum fluxus ſalinorum principiorum fructus & effectus eſſe ajunt vid, KOZACK. *Tr. d. Sal. c. 6. ſ. 16. c. 9. ſ. 17.* Qui Acidi vero & Alcali Patroni audiunt, ii per dominatum ipſius Alcali fluxum, per exaltationem vero acidi vitioſi ſanguini inductam, ſuppreſſionem explicare conantur; A dupli-

cibus

cibus enim hisce salibus acidis sc. & Urinosis, vel alcalicis, si legitime proportionata & aliis particulis intermista ac temperata sint, sanguinis crasin & constitutionem dependere volunt, illegitime vero proportionata ac intemperata pr. n. crasin oriri; Excedente enim sale Urinoso activitatem alterius, tum sanguinea Massa dissolvitur & fatiscit, acido vero excedente eadem coagulatur, grumescit non spiritualscit, & tarde circulatur; Proinde sicut in quibusvis morbis aliis tam generandis quam corrigendis, ad duo ista, imprimis tamen ad acidum respiciendum venit, ita & eadem hic non insuper habenda esse affirmamus, utpote quæ si non omnium plerorumque tamen morborum causa existunt. THOMAS WILLIS Causam fluxus Hæmorrhoidum quærit in sanguinis acrimonia, dyscrasia salina & sulphurea, & nimia ejus effervescentia; cruor enim acris existens, vel ob particulas sulphureas & salinas nimis solutas inque effervescentiam actas, plus debito accensus, uti calorem intensum ac valde molestum in totum corpus dispergit, ita & circa partes has imprimis congestus, arteriarum seu venarũ oscula haud difficulter reserare, exedere, unitatem solvere, & sic fluxum hunc concitare valet. Contra vero si cruor ob partes, sulphureas & salinas à variis causis nimis absumptas seu depressas vapidus effœtusque, & ob crassas, limosas, terrestrioresque particulas parce vel minute accenditur, tum necessario alicubi stagnat, Tumorem & suppressionem alias fluentium Hæmorrhoidum inducit. Qui corpusculari Philosophiæ favent, illi particulas & corpuscula sua, (è quorum variis concursibus & coacervationibus Massa sanguinea conflatur, & sensilia omnia corpora & effectus exsurgunt) determinatas, discrepantes tamen magnitudines, motus, figuras situsque &c. habentia: in specie in fluxibus sanguineis particulas acres & acidas, rodentes puta scindentes, pungentes accusant, quæ spiculis suis lapsu temporis, magis magisque impactæ arteriarum Hæmorrhoidalium aliarumque fibrillas divellunt, & rimas faciunt, tandemque sanguis ad vasa hæc teneriora delatus, fibras dilatando, per hiatus effluit. Sin vero particulæ tenues, flexiles, lubricæ, aliis crassioribus aut ramosis intertextæ, sed non valde firmiter annexæ & meatibus inclusæ exhalarunt, tum aliæ quæ remanent, minus flexiles, mobiles atque lubricæ, arctius junguntur, & fir-

mius necti solent, obque particulas juxta se mutuo quiescentes, stagnatio humorum & per consequens Tumor inde exoriri solet.

§. XV. In tanta autem opinionum abundantia, cum labi & errare præcipue in arte nostra non adeo difficile, & impossibile fere sit cum omnibus sentire, nemo, ut puto, vitio mihi vertet, si judicium meum hac in re aliquantisper suspendam, donec magis fuero edoctus. Interim, ne plane ἀσύμβολος sim, præsertim cum Humorum doctrinam Galenicam à recentioribus exsibilatam, inter morborum constitutivas causas produxerim, de propositis hypothesibus forsan judicare licet, dissensum, qui inter eos occurrit, in verbis magis, quam in herbis, si ita loqui fas est, consistere, & plerosque auctorum nomina saltem mutare, in ipsa vero re convenire, quam alii aliter explicare allaborant. Unde & assertis veterum quo ad Humores sua & constare poterit veritas, si concinna instituatur explicatio & conciliatio. Brevissimis ergo dicimus, Chymicorum principia sal sc. sulphur & Mercurium, vel Cartesianorum particulas varias, determinatæ tamen molis & figuræ, in ipsis humoribus consistere, sine quibus tanquam subjecto, vehiculo & minera nec eæ, nec acidum, nec alcali, nec acerbum, nec quidvis aliud existere possunt. Loco enim biliosæ cacochymiæ non inepte introductæ sunt, vel partes sulphureæ, oleosæ, inflammabiles, nimis in sanguine exaltatæ ac valde luxuriantes, vel acidum quoddam volatile oleosum, alcali suo volatili plus minus saturatum; loco pituitæ, partes salinas non rite exaltatas, sed crudas & magna ex parte fixas &c. permanentes, vel chylum, digestionis primæ vitio, vitiatum, & in pastam viscidam, crassam, acidam & tenacem redactam, in scenam posse produci; Melancholiæ vero veterum toties decantatæ, vel acidum succum Hippocratis, vel acidum &c. aliud, vel partes salinas fixas, austeras, acerbas, ponticas, fixas & terrestres respondere posse arbitramur. Sed cum in hisce totus rei cardo non vertatur, cuilibet suum in explicanda hypothesi modum relinquimus, optantes, ut quidam perspicue magis loquerentur, nec aliorum statim doctrinam, ubi hallucinati sunt, ignominiosis nominibus traducerent & sua tanquam oracula aliis obtruderent.

§. XVI. Accedamus nunc ad CAVSAS MEDIATAS REMOTIORES, inter quas primo occurrunt RES NATVRALES, *quæ*, ut loquitur GVERNER. ROLFINC. *Ord & Meth. Medic. special. Comment. l. 2. s. 2. c. 31. magnam in humoribus vitiosis cumulandis vim habent, hæ enim naturali quasi inclinatione disponunt subjectum ad receptibilitatem infortunatæ morbosæ impressionis, sine quibus res nonnaturales parum valent.* Temperamento itaque qui calido & Humido, ac Plethorico & seroso sunt, vel qui ob labem à parentibus acceptam Cholerici, Scorbutici, Hypochondriaci, splenetici, atrabilariique audiunt, seu sanguinem natura calidiorem, acriorem salsum magis & effervescere aptum, proinde vasorum osculis facilius erupturum habent, ii præsertim, si debilior laxior rariorque vasorum istorum sedalium constitutio concurrat, uti crebrioribus narium hæmorrhagiis &c. ita & Hæmorrhoidum fluxu facilius tentantur præ aliis, qui tali temperamento & constitutione corporis non sunt, sed potius contrarium obtinent, unde & cœcis & dolorificis magis vexantur. Quæstio hic agitari posset, An scilicet plagæ istæ, quibus Philistæi, postquam Arcam Domini in templum Dagonis receperant, in secretiore natium fuerunt percussi, uti Lib. 1. Samuelis cap. 5. v. 6. Da der HErr Asdod / und alle jhre Gräntze an heimlichen Orten schlug. & è Psalm. 78. v. 67. videre est, fuerint Hæmorrhoides. Pariter ventilari posset, illa opinio, quæ statuit, Judæis fluxum Hæmorrhoidalem familiarem esse, & an pœnæ loco Christum crucifigentibus (dum Judæi impiissimi clamaverunt, sanguis ejus super nos & filios nostros) immissus, ex maledictione Parentum currat adhuc in filios vena facinoris per maculam sanguinis, ut per hanc importune fluidam proles impia inexplicabiliter crucietur, quousque se ream sanguinis Christi recognoscat pœnitens & sanetur, ut loquitur D. AVGVSTINVS. Nec non an Fœmina ista apud Matthæum cap. 9. v. 20. das zwölff Jahr den Blutgang gehabt/ Hæmorrhoidum an vero mensium profluvio laboraverit. Sed missa hæc facio, nec quicquam determinare valeo, donec res ipsa, incertis Auctorum opinionibus adhuc innixa & indubitatæ fidei testimoniis non dum probata, à Doctoribus Ecclesiæ magis dilu-

 cidetur

cidetur: *Nec enim*, ut ait SPEIDELIUS, *asserere queo, quod vel oculis non vidi, nec aliunde expertus sum, relata solum retuli. Unde quantum hisce & consimilibus deferendum, cuique sit liberum arbitrium.*

§. XVII. Quoad sexum, morbus hic utrique sexui est communis, præcipue tamen inter viriles recensetur; mares enim præprimis in virili ætate constituti iis magis tentantur, & quidem quandoq; periodice, uti enim Jo. LUD. HANNEMANN, *annotante id Theophilo Boneto Med. septentr. Collat. Lib. 3. sect. 11. cap. 7.* ait. Quod quidā Viri quolibet mense & luna silente redeunte, non secus ac fœminæ suum pendunt vectigal de rosa, eodemque modo sese præparant, quo fœminæ has lunulas habituræ, terminumq; istius fluxus instare præsentire possunt, id quod expertus est Vir ille Kiliæ Holsatorum suburbanus minister. SIC EHRENFRID HAGENDORN. *v. Th. Bonet. l. c. cap. 8.* novit Fabrum murarium, quem ab anno ætatis 20 ad 60. usque Fluxus Hæmorrhoidalis singulis fatigaverit mensibus, perinde ac catamenia apud Fœmellas stato redire consueverunt tempore: retulit etiam se iisdem affligi symptomatibus, quibus menstruatæ, retentas vel nimium fluentes iisdem quoque promoveri, vel sisti, quibus fœmellarum, remediis, similia exempla vide apud citatum sæpius BONETUM *l. a. c. 9. c. 10.* & AMATUM LUSITANUM *Cent. 5. cur. 3.* VESALIUM *de Corp. H. Fabrica l. 5. c. 15.* SCHENCK. *l. 3. obs. 157. 158. &c.* Unde putant quidam, Viris quibusdam periodicum & menstruum hunc Hæmorrhoidum fluxum, loco menstruationis quasi fœmininæ à natura datum esse vid. MICH. ETTMÜLL. *Prax. p. m. 544.* Et similem volunt esse isti fluxui, quem quidam Viri per partem istam, à qua Viri dicimur, singulo menstrui spatio, patiuntur, qualia exempla quanquā rara scriptis consignarunt ZACUT. LUSITAN. *Lib. 2. Prax. Med. admirand. 3. obs 102.* THOMAS BARTHOL. *Cent. 5. Hist. 32. 33.* FEHR. *tr. d. absinth. p. 138.* SALMUTH *Cent. 3. observ. 47.* WELSCH. *observ. Medic. Episagm. 69.* Mulieribus quoque hic fluxus solet fieri familiaris, in quibus tamen fere semper mensium aliquod vitium conjunctum esse solet, vel cessantibus iis aut per ætatem, vel morbum &c. hic apparere incipit. Sic ETTMÜL. *p. m. 558.* inquit; *Aliquot scio exempla*

empla, quod in habitu corporis ſucculentiore & turgidiore partium poſt 49. annum, quando naturaliter fluere deſinunt menſes, ſuperveniat fluxus Hæmorrhoidum periodicus; ita, ut cum in his certa periodo fiat evacuatio, per uterum hanc naturaliter ceſſantem inſequatur Hæmorrhoidum fluxus. Paria annotarunt SENNERTUS *l.3. Prax. pr.2 ſ. 2. c. 13.* & D. CASP. KOLICHEN *in Theoph. Bonet. l. c. c.* 4. & G. W. WEDELIUS eodem *in loco ſ. 3. & in appendice ad cap. praced.* HEURNIUS *comment in Sect. VI. aph 11.* SYLVATICUS *Cent. 2. concil. 95.* Sic & DOLÆUS *Encyclop. M. l. 3. c. 10. obſervavit in Principiſſa quadam juniore fluxum menſtruum novilunio fluentem, una cum fluxu Hæmorrhoidum plenilunio fluentem*, ſic & RULAND. *Cent. 2. obſ. 14.* exemplum monialis iiſdem ultra annum laborantis ſuppeditat. HIPPOCRAT. *l. 4. Epidem.* Filiam ædilis cujuſdam menſibus non prodeuntibus per duos annos hyeme habuiſſe Hæmorrhoides refert. FOREST. *l. 23. obſ. 4. & 5.* Viduis quibuſdam loco menſium Hæmorrhoides fluxiſſe inquit. ſic SCHOLIOGRAPH *ad cap. 55. l. 1.* HOLLER. *d. morb. internis in Schol. c. 51. l. 1.* notavit, in gravidis duabus mulieribus jam quatuor menſes in utero habentibus Hæmorrhoides utiliter profluxiſſe. Imo & Gravidis interdum ſuperveniunt Hæmorrhoides loco menſium fluentes, vid. SCHENCK. *l. 3. obſ. 163.* SWALWE *Diſquiſit. Therapeut. ſect. 6. p. 113.* ait. in quibuſdam defectu lochiorum vel menſtruorum tument aut aperiuntur Hæmorrhoides. Sic quoque Fœminæ in ultimis gravidationis menſibus aut etiam ubi difficili laborant partu incurrunt Hæmorrhoides, in utroque enim caſu, ut vult ETTMÜLL. *p. m. 153.* impeditur nonnihil ſanguinis circa uterum & anum motus, qui occaſionem ſubminiſtrat, ut ſtagnet in venis Hæmorrhoidalibus, quæ ſtagnatione tumefacta vaſa & inflammata pars, dant Hæmorrhoides cœcas dolentes.

§. XVIII. Ut cuique ætati ſua eſt ſanitas, ita ſuæ moleſtiæ ſuus quoque morbus, mutationes quippe ætatis temporumque ſecundum effatum Magni noſtri ſenis *ſect. 3. aph. 1.* potiſſimum pariunt morbos &c. Hinc eodem *ſect. III. aph 30.* atteſtante, Hæmorrhoides adultæ præprimis, virili, & nonnihil declinanti adſcribit, verum notandum quod morbi ætatibus ſe-

cundum Hippocratem enumeratis attributi, nō ſimpliciter & abſolute ſunt intelligendi, quaſi iiſdem ita ſint proprii, ut in cæteras non cadant, ſed reſpective, quod morbi certi certæ ætati ſint frequentiores quam ætatibus aliis, ita Hæmorrhoides ætatis conſiſtentis hominibus ſic competere intelligimus, ut tamen reliquæ ætates non ſint excludendæ. vid. FROMMANN. *l.c. part. 1. pbl. 27.* Sic primam ætatem puerilem ſcilicet à malo hoc immunem non fuiſſe teſtatur CAROLUS OFFREDI, *in Theoph. Bonet. l.c. l.3. ſ.11. c.6.* qui obſervavit duos puellos triennem unum, alterum quadriennem gravi morbo Hæmorrhoidum laborantes, & quidem poſtremum fungi ſpecie extantium cum ſummo dolore, &c. Pariter Filiolum quendam duorum annorum tubicinis cujuſdam anno 1676. Hæmorrhoidibus & fluentibus & Cœcis laborantem cùm materiæ acrioris per aliquot dies profluvio, inſequente ſanguine puro quantitate cochlearis minoris cum intumeſcentiâ quaſi veſicæ cujuſdam minoris ex ano prodeuntis, ſed brevi in anum redeuntis obſervavit FROMMANN. *loco ſuper. cit.* Nec non SIMON SCHULTZIUS (*v. Theoph. Bonet. l.c. c.5.*) notat Filium octo annorum Hæmorrhagiam ani citra tormina ventris ſeu dolorem in inteſtino vel circa inteſtinum aut in podice paſſum, &c. Pariter & alium puellum minorem n atu ſine diſcrimine ſanitatis aliquo Hæmorrhoidum fluxum paſſum fuiſſe ſibique relatum prodidit idem. Quoad juvenilem ætatem vid. PETR. LOTICHII *Obſ. Med. 1. l.4. c.10.* & FONSECAM *Tom. 1. cons. 26.* Senilis ætatis mentionem injecit ſæpius citatus SIMON SCHULTZIUS *l.c c.2.* obſervans duos ſenes unum octogenarium, alterum nonagenario majorem, qui à prima ſtatim juventute ad prædictam ætatem Fluxum Hæmorrhoidum paſſi ſunt, & quidem quovis menſe, maximis cum dorſi doloribus & ventris torminibus ordinarie & uberrime redeuntem. SCHENCKIUS *l.3. obſerv. 157.* Octogenarii ſenis meminit, qui ſingulis menſibus ſanguinem Hæmorrhoidalem patiebatur. vid. & FRANCUS. *l. c. p. 15.* Denique ipſe habitus corporis rarior vel laxior vel denſior, peculiaris etiam ἰδιοσυγκρασία, & nativa quaſi proclivitas, hæreditaria diſpoſitio, peculiare etiam robur viſcerum & vaſorum majorum, debilitas vero

& ἀτονία

& ἀλονία, ac singularis conformatio vitiosa minorum in ano, & partis ἐναισθησία atque intemperies, magnum ad hoc malum afferunt momentum, & nunc ad fluentes, nunc ad furentes disponunt subjectum Hæmorrhoides.

§. XIX. Transeundum nunc nobis est ad CAVSSAS MEDIATAS REMOTIORES NONNATVRALES, inter quas primo occurrit Aer, qui Auctore HIPPOCR. *l. d. flat.* maximus in omnibus qui corpori nostro accidunt, morborum auctor existit. Ratione caliditatis suæ, dum humores dissolvit, attenuat, fundit, liquat, bilem ac sanguinem exæstuare & magis effervescere facit, porosque aperit, Apertarum: ratione frigiditatis vero, dum disponit sanguinem ad coagulationem & grumescentiam, dum meatus ipsius cutis occludit, corpus densat, pituitam auget fermentationi turgescentiæve Massæ sanguinæe obest, & stagnationem humorum inducit, Cœcarum Hæmorrhoidum caussa esse solet. Hinc etiam Fluxus Hæmorrhoidum, uti aliæ quoque fluxiones sanguinis secundum HIPPOCR. *sect. 3. aph. 20. 21.* Verno tempore frequentius & magis æstate, ob calorem solis sanguinem magis calefacientem & turgescere facientem, & fructuum horræorum ac facile putrescentium, vel aliorum in bilem convertibilium usum, eò affligi alias solitos adoritur, quam hyeme, licet & hoc tempore iis affligamur, sed non tam facile, ex mente enim HIPPOCR. Quilibet in quibusvis temporibus morbi fieri possunt, nonnulli tamen in his magis tum fiunt, tum irritantur. Ratione aeris præterea variantis in his vel istis locis etiam morbi variant, uti pariter docuit HIPPOCR, *l. d. aere, aquis & locis.* Unde & Meridionalibus populis, regionesque calidiores ut Italiam, &c. vicinaque loca incolentibus, quibus quasi loco menstruationis muliebris est Fluxus Hæmorrhoidum, contra loca septentrionalia & frigidiora inhabitantibus Cœcæ & Dolentes Hæmorrhoides magis solent esse familiares. An Anglia præ aliis regionibus magis torquatur ab Hæmorrhoidibus in dubium vocari potest, uti quidem id nonnulli defendere conantur, vid. AMMAN. *Parænes. ad Discentes l. 2. prt. 3. cap. 13.* seu FROMM. *l. c. pr. 1. pbl. 33.* Secundo Cibus & Potus congerendis excrementis & vitiosis humoribus fores præcipue aperiunt, maxime nunc, cum pravis succrescentibus moribus Intemperan-

tia Morborum & Medicorum nutricula regnet ubique. Ad Fluxum occasionem subministrant Cibi calidi, acres, salsi, fumo indurati, pisces exsiccati & nimis saliti ut haleces, vel carnes salitæ ut pernæ, linguæ bubulæ, imo omnia alimenta multum nutrientia & copiosum sanguinem suppeditantia, vel acrimoniam, caliditatem, accensionem, & majorem effervescentiam inducentia, vel natura talia, vel aromatibus, pipere, cinnamomo, caryophyllis, galanga, &c. nimium condita; quod & facit Potus nimium calefaciens, vina generosa, spirituosa, malvatica, aromatica, seu Hippocratica dicta, vel alia largiter, inordinate & ad crapulam usque hausta. Hanc ob rationem, FRANCUS *l.c. p. 13.* in Germania nostra non infrequenter dicit esse Hæmorrhoides, præcipue tamen in locis, ubi ordinarie vinum bibitur; quod Argentorati non semel observavit in Praxi. Cerevisia etiam recens nec defœcata, sed multum lupulata, Aquæ etiam Palustres, salsæ, Nitrosæ, Inedia itidem multum hic conferre possunt. Cœcarum vero Hæmorrhoidum causa sunt Cibi κακόχυμοι, δύσπεπτοι, crassum, limosum, fœculentum & Tartareum succum suppeditantes, concoctu difficiles noxiamque conjunctam habentes qualitatem, in nimia etiam copia ingesti, quando corpus nulla habita ratione vel temporis vel ordinis &c. vario ciborum genere ad satietatem usque repletur, e quo ventriculi calor obruitur, acidum enervatur, chylus corrumpitur, vitioso sapore & qualitate imbuitur, cruditates variæ cumulantur, obstructiones indeque sanguinis in parte stagnationes suppressionesve oriuntur tales. In specie huc facit Panis è vitioso frumento, nec rite pistus, fermentatus & coctus, vel calidus nimis, prout ex furno extrahitur, comestus, pultes item avenaceæ, item carnes annosæ, boum aratorum, vaccarumque vetularum, anserum, anatum, porcorum, piscium in limosis aquis degentium, olera & legumina, lentes, pisa, fungi, farcimina, caseus vetustus, & lacticinia, ingesta alia viscida, acida, aliaque alimenta quæ refrigerandi, incrassandi & obstruendi vim habent, inprimis & nimius bellariorum, sacchari mellisque usus, qui sanguini lentorem & visciditatem simul imprimere solent huc pertinent. Præterea inter potus sunt, cerevisia crassa fœculentaque, vina rubra styptica, austera, crassa, tartaro copioso imprægnata; aquæ limosæ, palustres, resides

atque

atq; ſtagnantes, paucus vel nullus potus, vel nive ſeu glacie refrigeratus, parcior denique victus ſymbolum ſuum ad Hæmorrhoides ſuppreſſas conferre ſolent. Quantum ad conſervandam valetudinem & inducendos morbos Motus & Quies queant, id prolixe exponere non opus : Motus enim nimius, exercitium corporis immoderatum, equitationes vehementiores & ſuccuſſoriæ, curſus violentiores, curruum rhedarũ, vehiculorumque attractiones, graviorum ponderum geſtationes, ſaltationes aſſiduæ, longæ ſtationes, nimius in exoneranda alvo conatus, vehementes & magni in partu difficili labores, aliaque quæ humores fundunt, ſanguinemque impetuoſius commovent, & cum ῥοπῇ raptu quodam in ὀργασμὸν vehementiorem movent, ad Fluxum Hæmorrhoidum diſponunt. Sicut LAZAR. RIVERIUS *Cent. 1. obſ. 45.* meminit cujuſdam bilioſo corpore, qui ex nimia animi & corporis commotione arteriis meſaraicis apertis ſanguinem ἄνω καὶ κάτω rejecerit. Quies vero immoderata, vitaque otioſa & ſedentaria, intermiſſaque corporis exercitatio, dum recrementis corpus adimplet, vitioſis humoribus anſam præbet, calorem nativum obtundit, chyli diſtributionem ſanguiniſque circulationem pauliſper remoratur, cœcarum Hæmorrhoidum occaſio fieri poteſt. Unde & ob vitam ſedentariam, multorum morborum matrem, literati etiam Hæmorrhoidibus magis propterea ſubjecti dicuntur. Affines hiſce ſunt Somnus & Vigiliæ, hæ enim dictatore HIPPOCR. *Sect. 2. aph. 3.* Si modum excedant, malum, quatenus iis ſpiritus in continuo ſunt motu, humores æſtum concipiunt, ſanguis quaſi inflammatur & Cholericum temperamentum induit, fluxus cauſa ſunt; dum vero calor nativus nimis diſſipatur, coctiones turbantur, & cruditates multæ coacervantur, ſuppreſſarum Hæmorrhoidum cauſa ſunt. Somnus pariter excedens cœcis occaſionem ſubminiſtrat, dum continuo & nimio ſomno excretiones & evacuationes quæ fieri deberent, ſiſtuntur, nec humorum diſtributiones rite perficiuntur, ſed copia vitioſorum pituitoſorumve collecta; per vaſorum anguſtos meatus tardius tranſeundo, obſtructiones tenaces atque tumores infert. Animi quoque Pathemata multum hic contribuunt, quæ quantum ad corpus noſtrum alterandum alias faciant, ſatis ſuperque notum eſt. Ira præcipue, dum ſanguinem

concitat, humores & totum corpus exagitat, spiritusque nimis commovet, vasa Hæmorrhoidalia reserare potest, uti exemplum tale profert D. PETR. CHRISTOPH. Stockhausen / *in Disp. sua Inaug. de Hæmorrhoidibus Helmstad. anno 1670. habita* §. 31. de Viro 40nario qui sæpius ad iram concitatus, die statim subsequenti de gravativo sinistri hypochondrii dolore & murmure circa umbilicum conqueri cœpit, unde sub noctem sæpius surgere alvumque excernere coactus, die vero tertio ingruente, Hæmorrhoidali fluxu laborare cœpit, hinc Hæmorrhoides ei sæpius postea post iram obortam fluxerunt, similiter & FRANCISC. HILDESHEIM *Spicileg. 2. d. morb. cap. p. 243.* Terror, vero, timor, tristitia mœror, metus, ob sanguinis ad interiora recursum, ibique sufflamine quasi facto, nonnihil subsistentiam, uti evacuationes sanguineas per uterum aliasque partes fieri consuetas, ita & hic hæmorrhagiam ani sistit & suppressionis causa est. Devolvimur ad Ultimum in 6. rebus non naturalibus, ad Excreta scil. & retenta, & imprimis fœces alvinæ in causa solent esse, si separationes ab humoribus alibilibus & excretiones earum non rite fiant, tamdiu enim totum corporis systema bene se habet, ubi hæ & aliæ quæ fiunt, per Urinam, sudorem, uterum, &c. evacuationes rite procedunt, sin earum vero suppressio vel pr. n. effluxus contingat, tunc corpus ægrotare necesse est. Quæ omnia quomodo præsentis affectus causæ existere possint, cuique facile est concipere.

§. XX. Huic classi annectimus merito externa, imprimis medicamenta vehementiora, calidiora, acria nimis & stimulantia, intempestive & non debita dosi exhibita, qualia sunt omnia purgantia valida & δραςικότερα intempestiva & immoderata, inter alia crebrior ipsius Aloës usus à plerisque Auctoribus suspectus haberi solet, ob vim ἀναςομωτικὴν præcipue Hæmorrhoidum ora aperientem, quam possidere eam dicunt. vid. SENNERT. *prax. l. 3. part. 2. cap. 13. quæst. 2. & alii.* & ut FONSECA *Consult. 27.* ait. Pilulæ de Aloë Hæmorrhoides adeo inducit, ut ex centenis his pilulis utentibus nonaginta Hæmorrhoidibus laborent, unde ob frequentē harum pilularū usum, Venetiis, Patavii & aliis Italiæ locis Hæmorrhoides frequentes esse dicunt. & P. CHR. Stockhausen / *l. c.* §. 13. putat, quod hæ pilulæ causa fuerint,

ut plures

ut plures Francofurti quam alibi Hæmorrhoidali fluxu correpti ſint. Verum hoc non Aloë ſolum, ſed quibuſvis aliis purgantibus magis reſinoſis eſt commune, ut in diſpoſitis Hæmorrhoides concitent. Unde MANARDUS *in Epiſt. Medic. l. 12. Ep. 3.* è potu Rhabarbari in viro id obſervavit: quod de Sennatis & ſcammoniatis quoque à ſe obſervatum dicit SCULTETUS *Armam. Chirurg. obſ. 76.* Pæterea id faciunt ſuppoſitoria acria, craſſa, valde ſtimulantia, clyſteres etiam acres, medicamenta Urinam & menſes moventia, ſpiritus vini ſorbitio frequentior, acidulæ acriores, Chocolatæ, vid. FRANCUS *diſp. d. Hbus p. 16. 17.* aphrodiſiacorumque valde ſtimulantium uſus, fumus quoque Tabaci, externa item varia, charta piperacea, unguenta calida nimis, pinguia, laxantia, aperientia, emollientia, diutius & nimis incaute applicata, item frictiones, & quæ alia huc invitare ſanguinem vel præſentem ad effluxum citare valent, imo omnia quæ vim habent vaſa incidendi, rumpendi, dividendi, contundendi, continuumque iſtorum quovis modo ſolvendi. Contraria autem, medicamenta puta adſtringentia, incraſſantia, refrigerantia tum interna tum externa, balnea aluminoſa nimiſque frigida, immerſio pedum vel corporis in aquam frigidam, vel diuturnior in ea mora obſtructionem & cœcas Hæmorrhoides cauſantur.

§. XXI. Progredimur ad tertiam rerum Medicarum claſſem, quæ agit de REBUS PRÆTERNATURALIBUS, quarum cum ingens ſit catalogus, brevitati ſtudentes, nolumus eſſe prolixi. Sufficiat indigitaſſe peccare hic utplurimum vel ἰδιοσυγκρασίαν individualem, (quando ob modum motumve ſanguinis ſpecialem ipſa natura affectat & inclinat ad hunc fluxum) variam itē malam viſcerum, Lienis præcipue & Epatis malam diſpoſitionem conſtitutionem, Intemperiem vitiatam ſtomachi, quatenus chylum gignit aquoſiorem, Renum, quatenus minus evacuant laticem aquoſum ſuperfluum, ulcera præterea in inteſtinis & rupturæ, Diarrhœæ, Dyſenteriæ, Teneſmus, Scorbutus, malum Hypochondriacum, menſium lochiorumque ſuppreſſio ſ. imminutio, viſcerum & vaſorum variæ obſtructiones infarctioneſque, Hæmorrhoidum excedentium curatio ἄκαιρος facta, Tuſſis, ſternutatio, vomitus violentus, (Inordinati ſpaſmi & quaſi convul-

ſiones fibrarum nervoſarum ſeu motricum in vaſis ſanguiferis præcipue arterioſis, fluxus etiam cauſæ quod fieri poſſint non dubitat DOLÆVS *Encycl. l. 3. c. 10.* vid. & THOMAS WILLIS *de Medic. operat ſect 3 c. 2.*) Omnes denique morbi vel Intemperiei, vel malæ conformationis, vel ſolutæ unitatis, vel ſymptomata, quæ ſanguinis acrimoniam, caliditatem, effervescentiam; vel craſſitiem, viſcoſitatem, tardioremque ejus motum conjunctum habent Hæmorrhoidum cauſa eſſe poſſunt.

§. XXII. DIFFERENTIÆ horum affectuum peti ſolent, & quidem principales vel ab ipſa formali ratione, quæ conſtituit vel fluentes vel dolentes, de quibus §. 5. vel à ſitu, loco, origine & parte affecta uti in §. 6. videre licet; vel à cauſis, de quibus §. 11. 12. & ſeq videndæ ſunt; relictis differentiis autem, quæ vel à numero apertorum vaſorum vel tumentium; vel à duratione, ipſius vel fluxus vel tumoris, vel doloris; vel à conſtitutionis & moris ratione, dum aliæ mites benignæ, vel malignæ ſunt, de quibus vid. FROMMANNVM *l. c. pbl. 26.* vel à motus ratione, dum aliæ facillime & leviſſima aliqua de cauſſa ſeu fluunt ſeu ſupprimuntur, aliæ difficulter & non niſi ubi vehemens cauſa movens adfuerit; vel à figura, quam in tumeſcentes Hæmorrhoides acquirunt, & aut verrucales, morales, uvales, ficales, aut veſicales audiunt, deſumuntur; notamus inſuper differentiam quæ à magnitudine eſt, dum pro majore vel minore humorum affluxu, varie intumeſcunt & protuberant; tumor enim hic in inſignem magnitudinem ſæpe excreſcit, adeo ut referat LINDANVS *in Collegio ſuper Hartmannum*, ſe obſervaſſe Hæmorrhoides Cœcas in tantum tumorem auctas, ut pugni inſtar extra anum foras prominerent. vid. ETMÜLL. *p. m. 153.* & Veſalius in diſſecto quodam cadavere venam ſub recto inteſtino excurrentem, pollicis quaſi craſſitiem ſuperaſſe obſervavit. Porro à termino temporis ſunt Hæmorrhoides vel recentes, quæ modo adoriuntur, ſeu quibus nunquam antea homo laboravit, aliæ inveteratæ, quibus jam à longo tempore ægrotans ſæpius torqueri ſolebat. Nonnullæ ſunt periodicæ, ordinatæ, quæ certa periodo & conſtituto quaſi tempore recurrunt, quædam, vel menſibus ſingulis, vel ſemeſtri, bimeſtri, trimeſtri vel annuo ſpatio, vel

amplius porro recurrentes affligunt, uti ex supra §. 17. allegatis observationibus videre est; quædam sunt erraticæ, inordinatæ, quæ nullum certum recursus sui tempus observant, modo enim citius, modo tardius redeunt, nonnullis vix semel atque iterum prodeunt, ac dein perpetuo delitescunt, aliis naturæ conatus suo tempore tantum exoritur, in actum vero non deducitur. Aliæ sunt hæreditariæ, de quibus SCHENCK *l. 3. obs. 156.* ait. *Comites novimus certæ familiæ, qui ex ordine Hæmorrhoidibus laborant: & tamen læti vivunt, discurrunt, inquieteque se gerunt, quo citius ab iis liberentur, venis ad excretionem stimulatis irritatisque*, sic *Scholiogr. ad c. 55. l. 1. Holler.* Hæmorrhoides quibusdam familiis consuetas esse refert, vid. SOLENANDER *l. 4. consil. 20.* ANDR. CNOEFFEL. *in Theoph. Bonet l. sæpius citato l. 3. c. 16.* Ratione Excretorum vel effluxus sanguinis est nimis creber, sæpiusque recidivans, vel copiosior nimis & in magna quantitate, sic JO. BAPTISTA MONTANVS *consil. 158. p m. 368.* quandam vidit fluxum Hæmorrhoidum admodum excedentem passam, qui in principio confertim consuevit fluere in maxima copia, ita quod quandoque effluxerint 25. libræ, quandoque vero 10. quandoque 12cim. RHODIVS *Cent. 2 observ. 93.* notat Patavii Clericorum regularium ministrum, cui supra tomum jam annum per Hæmorrhoides quotidie sanguinis fere quatuor unciæ manabant, &c. pariter mulierem ibidem suppressis menstruis quatuor menses integros ultra quatuor sanguinis uncias excrevisse quotidie per Hæmorrhoides, adeoque hoc temporis spatio libras unde triginta. Et fere fidem superat, quod recenset PANAROLLVS *l. c. obs. med. 46.* de Nobili Hispano, qui quotidie libram sanguinis, quatuor ab hinc annis per Hæmorrhoidales venas excrevit, optimaque fruitur valetudine, quod si computum instituerεmus ultra mille & 400. sanguinis libras ei effluxisse necesse esset. Nec prætereundum hic quod testatur TRITHEMIVS *Chron. Sponheim de anno 1349.* quod immodico Hæmorrhoidum profluvio multa hominum millia maxime in Alemannia perierint. vid. & ZACVT. LVSITAN. *Prax. Med. adm. l. 3. ob. 59.* Alius contra sanguinis effluxus est imminutus, ubi minus quam par est, & quam ipsa corporis constitutio requirit, evacuatur. Ratione qualitatis, vel effluit san-

guis purus, vel impurus, bilioſus, ſeroſus, melancholicus, aduſtus, putridus, fœtidus, acris, vel materia alia lutulenta, &c. ut ſuperius in §. 12. dictum. Ratione modi excernendi & ſymtomatum variæ etiam ſunt differentiæ. Aliæ enim fluunt cum magno impetu & vehementia, & largiter, aliæ guttatim c. ſ. ſine dolore. Inter cœcas aliæ ſunt cum exulceratione, procidentia, inflammatione, ardore, febri, vel aliis ſymptomatibus gravioribus morbisq; ſtipatæ, aliæ nihil tale ſecum conjunctum habent. Aliæ ſunt ſpontaneæ, aliæ non ſpontaneæ, aliæ Criticæ & ſymptomaticæ, ſeu ſalubres vel inſalubres, ſed de his ſatis.

§. XXIII. Relictis differentiis, ordinis ratio requirit, ut ad SIGNA pedem promoveamus, quorum doctrina & ſcientia Medico quam maxime neceſſaria, certus enim prius eſſe debet de morbi ipſius cum præſentis tum futuri idea ſtatuque, antequam ad curationem ipſam ſe accingat, uti non intellecti nulla eſt curatio morbi, ita quo melior quis eſt in cognitione, eò felicior & in curatione. Sunt autem SIGNA DIAGNOSTICA, quæ vel imminentem vel præſentem morbum demonſtrant, vel partem affectam dijudicant, vel cauſas ex quibus oriatur, nobis ob oculos ponunt, vel denique ab affectibus conſimilibus illum nos diſtinguere docent. *Signa præſagientia* imminentis affectus Hæmorrhoidum magna è parte cognoſcuntur è malo hæreditario, ſi Parentes ſc. eo vitio fuerint obnoxii, è diſpoſitione naturali viſcerum & membrorum vitioſos humores generantium vel non ſecernentium, v. FOREST *l. 23. obſ. 5. Schol.* è plenitudine præcedente, & victus ratione prægreſſa, ex æſtu & gravedine circa ſpinam dorſi, dolore & tenſione lumborum & motu in abdomine, pruritu ani & dolore præcedente, oris ventriculi roſione, aliquando oculorum aliquali inflatione, anhelitu difficili, inappetentia, ructuum frequentia, capitis gravedine, ſomnolentia, inſomniis turbulentis, ſpontanea artuum laſſitudine, & aliis ſignis, quæ modo plura modo pauciora, graviora vel mitiora ſunt, pro diverſa cauſarum, ſubjecti, temporis, ætatis, &c. ratione. Imo color faciei rubentis vitiatus, & ut plurimum cachecticus, & ad viridem colorem declinans, ita ut ægri Ictero quaſi laborare videantur, præcipuum eſt ſignum vel imminentium vel præſentium Hæmorrhoidum, & hoc ſolo ſigno inductus FORESTUS

l. c. in multis aliquando advertens, eos Hæmorrhoidibus laborare c. magno artis honore pronunciavit *Hæmorrhoidum fluentium* ſigna ut enarrentur, fere non opus, ſæpe enim ſola ſufficit ægrotantis vel aliorum adſtantium relatio, imprimis fluxus ex excretis cognoſcitur; Sanguinis enim rejectio fit ante vel poſt fœcum alvinatum excretionem, aliquando cum fœcibus ipſis excernitur; Sanguis vero profluens plerumque primo eſt niger, fæculentus & craſſus, guttatim & deſtillando quaſi, rarius cum ſaltu vel quaſi ſiphone effluit, poſt bonus apparens, rutilus tandem, citrinus & pallidus, vid. STRAUSS, *Pal. Med. pr.* 3. *γυμνασμ. 9.* §. *9.* nonnunquam albus inſtar ſpermatis fere ranarum, vel alterius cujuſdam coloris, uti ex §. 12. videre eſt, deprehenditur etiam fluxus in chartaceo inferioris gutturis emunctorio, ſeu cum tergimus anum panno lineo, eum ſanguine commaculatum videbimus. Sentiunt præterea ægri fluxu præſente in dorſo & circa coxendicem dolorem gravativum cum tenſione abdominis, dolor etiam in ano ingraveſcit cum alvum deponit æger, non tamen talis eſt, qualis in dyſenteria; pulſus quandoque mutatur è magno in parvum valdeque obſcurum, præcipue ſi immodicus ſit fluxus, tum vires labaſcunt, & proſternuntur, crura fiunt inhabilia & imbecillia, & fœdus ſubſequitur corporis color. v. RIVER. *Prax. l. 3. c. 10.* *Cœcæ Hæmorrhoides* cognoſcuntur ex intumeſcentia, ſanguinis, affluentis potius quam effluentis; tubercula ſunt modo dura, mollia, rubra, modo Uvæ granis ſeu aliis vid. §. 22. ſimilia, dolor eſt ardens, pulſans quandoque & lancinans, punctorius nonnunquam, modo remiſſior modo gravior, plerumque autem eſt valde atrox, ob partes maxime ſenſiles ſumme diſtentas, & ob acrimoniam humorum ſpiculis ſuis membranoſas partes vellicantium. Sentitur & ani pruritus, & ponderis circa ſedem ſenſus ac moleſtia cum excernendi difficultate, adſunt inſomnia turbulenta, tumor poſt duriorum ſcybalorum dejectionem extuberat inæqualis, aliquando ovi columbini imo gallinacei magnitudinē, & quidem nonnunquam cum inflammatione conjunctam accedit; ægri nec rite ſedere nec rite decumbere ſæpe poſſunt, ſed inordinate ſe præ dolore, quo quidam immiſericorditer afficiuntur, movent, & nonnunquam ob magni-

tudinem

rudinem mali procidentiam ani cum tenesmo patiuntur, & alvum fere plerumque habent obstructam: quibus autem diutius Hæmorrhoides suppressæ manent, iis postea solent præcordia inflari, ut difficillime spiritum trahant, nonnunquam facies, potissimum partes, circa oculos tumore attolluntur, pedes inflantur, symptomataque alia quæ in suppressione mensium etiam conspiciuntur exoriri solent. Quoad partem affectam, an interna vasa in Cœcis afficiantur, non statim palam fit, nisi anus violenter per clamorem vel spiritus retentionem exprimatur, vel invertatur intestinum, aut speculum ani adhibeatur. Externa si afficiantur, visu tactuque facile percipiuntur & cognoscuntur. In Fluxu ex internis prodire volunt sanguinem nigrum & retorridum, impurum & fæculentum, cognosci etiam è læsione stercoris exeuntis & ex aliquali pondere & pruritu illarum partium. Ex externis dicunt fluere sanguinem floridum & rubicundum (rationem dedere veteres, quia hic è cava ille è vena portæ fluit, &c. vid. SOLENANDER *consil. 20. sect. 4.*) externas etiam minus molestas esse & commodius tractari posse. Verum relinquimus hæc suis auctoribus cum incerta sint, nec ratione & experientia satis fundata. Et *quis? in re quam pudor patientis & nausea medentis curiosius rimari prohibet, id certo statuere ausit, an ab internis an vero ab externis, sanguinis profluvium, oriatur venis,* & *Medicum non moratur, modo mediocritatis normam cum εὐφορίᾳ teneat. Majoris momenti est nosse, an præter fluorem ulcus adsit, dolorem atrocem fovens.* vid. FROMM. *l. c. pr. 1. pbl. 42.* RONDELET. *meth. cur. morb. c. 23.*

§. XXIV. Quod DIAGNOSIN CAUSARUM attinet, & quidem externas causas, circa eas immorari non opus est, cum ex ægri vel adstantium relatione haberi possint, internæ potius rimandæ causæ, quæ humores sunt, circa hos enim præcipue versari debet Medicus. Si ergo à sanguinis quantitate & copia Fluxus vel suppressio Hæmorrhoidum orta sit, tum præcessere causæ sanguinem copiosum suppeditantes, victus liberalior, lautior, pleniorque, ætas est juvenilis, vita sine curis, aliaque similia, venæ sectio alias consueto tempore instituta intermissa, vel alia aliqua sanguinis evacuatio, per nares, uterum, &c. suppressa; patientes in principio leviter ferunt, alacrioresque fiunt, postmodum

vero

vero perſeverante fluxu nimio debilitantur, ac vires eorum quam maxime dejiciuntur, vid. RIVER. *Prax. lib. 10. c. 10.* Si vero ſit à ſanguinis qualitate vitiata, tum præceſſit & præſens adeſt corporis conſtitutio cacochymica, dolor, pruritus inſignis, aliave urgent; & ſi à Bile, tum præceſſere Cauſæ bilem generantes, item inedia diuturnior, ira, temperamentum eſt calidum & ſiccum, ætas juvenilis & virilis, æſtas, ſanguis magno impetu effunditur, & effuſus colore eſt rubro, veluti flammeo, & bile tincto, faciei color ad citrinum vergit, vigiliæ magis infeſtant, dolor eſt acerbus & mordax, calor & ardor circa anum acrior percipitur, aliquando appetitus deficit, ſitisque magis affligit. Sin à melancholia, tum dolor in ano & coxis eſt magis gravativus, faciei corporiſque color eſt plumbeus, lividus & fuſcus magis, æger triſtis, taciturnus, ætas virilis, & declinans, &c. Sin à ſero, tum dolor eſt acerbus, mordax, pungens & lancinans, facies vel pallet vel nonnihil rubet, pro diverſo particularum in ſero dominio; cauſæ ſerum generantes præceſſere, vel evacuationes ſeri per Urinam, per poros cutis, perque alia emunctoria fieri conſuetæ ſuppreſſæ: id quod effluit eſt aquoſum, tenue, ſeu refert aquam citrinam, vel aquoſitatem quandam lotivam. Sin à Pituita, tum ſigna pituitæ incorpore dominantis aderunt, minor erit dolor, corpus albidum, excreta quoque nonnihil alba apparent. Si à Flatibus malum dependeat, tum dolor ſaltem erit diſtendens partes absque tamen gravitate. Apertionem vaſorum per reſudationem factam fuiſſe dicunt, ſi ſanguis ſit aquoſus & tenuis. Ruptionem factam eſſe indicat & ſanguis paulo craſſior, & copioſior, & magis floridus cum corporis plenitudine & continuo effluens. Ἀναςόμωσιν vero, quando ſanguis per intervalla & quidem tenuis magis, & guttatim quaſi defluat, & magis, cum redduntur excrementa alvi, indicatur etiam ſi abſque prægreſſa cauſa aliqua manifeſta, libere & ſine ullo impedimento, & abſque præcedente vel conjuncto dolore, excepta tenſione, fluat materia. Si per arroſionem ſeu διαίρεσιν, tum præceſſit ulcus circa ſedem, fluor eſt mordicativus cum portione ſaniei, vel materiæ craſſioris & quidem in majori quantitate & ſine compreſſione, vid. FOREST. *l. 23. obſ. 5. Schol.* præceſſit ſæpius acriorum clyſterum vel ſuppoſitoriorum uſus, vel hirudinum

inepta fuit facta applicatio. Si Malum vero ſit à viſceribus male affectis, vel per συμπάθειαν aliarum partium in corpore, tum id è propriis ipſorum locorum ſignis erua t ur.

§. XXV. A GOGNATIS AFFECTIBUS, & quidem à Fluxu Hepatico ſic dicto quomodo diſtinguatur, videatur FROMMAN. *l.c. pr. 1. pbl. 45.* & DOLÆUS *Encycl. l. 3. c. 10.* A Teneſmo differt, quia ſanguinis exitus hic non fit cum expreſſione, forti conatu & continua dijiciendi cupiditate, ſicut in teneſmo fieri ſolet, ubi etiam nihil præter mucoſum quiddam & ſubcruentum egeritur. A ſanguine dyſenterico differt, ut FOREST. *l 23. obſ. 5. Schol.* ait, quia nec mixtus eſt cum fœcibus, neque exitum ejus dolor & tormina ventris graviſſima præcedunt. A fallaci ſcorbutica ſanguinis evacuatione Hæmorrhoidum fluxus ut diſtingui debeat, docet ETTMÜL. *p. m. 153.* Quomodo à reliquis affectibus cognatis, v. g. à Condylomate, Rhagadibus, Thymis, Ficis, Criſtis, aliiſque tuberculis in ano excreſcentibus differant, & quomodo diſtingui debeant, non puto opus eſſe ut in chartam conjiciantur, videri hac de re poſſunt, FORESTUS *l. c.* & RIVERIUS. *l. 10. Prax. c. 11.*

§. XXVI. Offerunt ſeſe nunc SIGNA PROGNOSTICA, quorum ope Medicus ſuæ famæ & ægrorum ſaluti quam optime conſulere docetur, iiſque morbi Eventum, eventuſque modum, vel ipſi ægrotanti, vel ſi è ratione non erit, ipſis adſtantibus curamve ejus gerentibus, prædicere poteſt. In anteceſſum autem notandum, quod liceat Hæmorrhoides conſtitutionem corporis nunquam plane perfectam, ſanam atque laudabilem arguant, colligere tamen nonnunquam exinde poſſumus conſtitutionem adhuc laudabilem, ſi non ſimpliciter, tamen ſecundum quid, ſi non ratione materiæ, tamen ratione cauſſæ; quæ eſt naturæ vigor & laudabilis conatus, qui vitioſos melancholicos, aduſtos, fæculentos, œconomiæ animali infeſtos, humores, pro incolumitate totius excernere, & extra corpus proſcribere tentet, eoque plurimos morbos præcavere ſtudeat. Curantur autem facile, ſi fluxus, ſeu Tumor, ſeu Dolor, ſit recens, ſi à cauſa aliqua externa, ſi ſponte vel remota cauſſa, vel levibus adhibitis remediis malum ceſſet, ſi naturæ vel ætati ſecund. HIPP. *ſ. 2. aph. 34.* ſint convenientes, ſi vaſa externa tumeant, vel ſanguinem fundant,

dant, & ἀναςόμωσιν seu διαπήδησιν passa sint. Difficulter vero curantur Hæmorrhoides, ubi vasa interna affecta & διαίρεσιν passa, vel fibrarum arteriosarum διάθεσις spasmodica adsit; cum enim pars sit valde sensibilis, & facile irritetur ab acribus mordacibus & duris per eam transeuntibus fœcibus, respuatque pharmaca item talia, eaque non apte applicari possint, etiam cum diu ibi non morentur, curationem faciunt difficiliorem. vid. FOREST. *l. c.* Difficilis etiam sunt curationis, si incidant in corpus morbosum, cachecticum, variisque jam aliis morbis, symptomatibus, & hæmorrhagiis vel uteri, vel narium diu vexatum, si in senes, imo difficillime si in senes decrepitos, si in eos quibus Hæmorrhoides à juventute vel à longo jam tempore fuerant consuetæ, & inveteratum quasi factum malum, vel hæreditarium sit, vel si gravissima conjuncta sint symptomata. Reliqua prognostica, an facilis vel difficilis sint curationis Hæmorrhoides fluentes vel furentes, petantur è causarum morbificarum numero, dispositione ipsius ægri, parte affecta, aliisque accidentibus.

§. XXVII. In specie quod Fluxum Hæmorrhoidalem attinet, is si moderatus, tempestivus, & cum levamine ægri sit, si evacuatur quod evacuari debet, tum sæpe ad SALUTEM ipsius ægrotantis à natura bene operante instituitur, & vulgarem denominationem venæ aureæ merito meretur, iis enim recte fluentibus, plurimi morbi, à Melancholico & atrabilario humore derivati, & curantur & præservantur, id quod & HIPPOCRATES *sect. 2. l. de humor. pag. m. 65.* jam docuit, quando sc. ait. *Qui sanguinem per ora venarum, quæ in ano sunt profundere solent, ii neque lateris dolore, neque pulmonis inflammatione, neque ulcere excedente (phagedænam vocant) neque furunculis corripiuntur, neque tuberculis, quæ à ciceris similitudine therminthi dicuntur, ac forte ne lepra quidem, fortassis vero neque vitiliginibus. Intempestive tamen curati multi, non ita multo post hujusmodi morbis correpti sunt, atque ita perniciose habuerunt.* Ratione curationis salutaris est fluxus, dum plurimos solvit morbos. Sic JOH. MATTHÆUS & FABRICIUS HILDANUS fatentur, Cephalæam & Hemicraniam apertione harum venarum sedatam fuisse. ARGENTERIUS *l. c.* inquit. Insaniam delapso Humore melancho-co ad tibias excitatisque varicibus, vel apertis venis in ano, ab

excitato

excitato in liene tumore, vel facta per intestina excretione, sanatam. teste SCHNEIDERO *de catarrhis lib. 3. cap. 7. p. 269.* Melancholiæ maximum remedium esse fluxum Hæmorrhoidalem statuit GALENUS *aph. 25. sect. 4.* vid. & HIPPOCR. *sect. VI. aph. 11. & 21.* DOLÆUS *Encycl. l. 1. c. 7. pag. 100.* ait. In Catalepticis Hæmorrhoidum fluxus alias insuetus superveniens salutaris. Boni ominis quoque solet esse hic fluxus in apoplexia, epilepsia, angina, pleuritide, &c. item in tabe, quæ teste RHODIO *Cent. 2. observ. 9.* Hæmorrhoidum fluxu declinata fuit; & eodem *Cent. 1. obs. 65.* notante, BENEDICTUS SYLVATICUS quendã nobilem Patavinum, apertis quovis mense venis Hæmorrhoidalibus ab Epilepsia liberavit. Et ADRIANUS SPIGELIUS teste SCHNEIDERO *de Catarrh. l. 4. c. 3. p. 365. & l. 3. c. 7. p. 270.* ait. *Et nos ipsi in Germania olim vidimus, à salso catarrho molestatos fuisse viros nobiles, sanatos tamen postea ex Hæmorrhoidum larga fluxione, ut propterea existimem non modo melancholiam, sed salsam etiam pituitam, & bilem, per Hæmorrhoidas purgari consuevisse*, & *l. 4. p. 170.* ait. Quid eo suppresso sæpe catarrhus pectoris aut capitis redit, aut sponte ingruit homini. Similiter malacia in quodam scabie fœdato, oborto Hæmorrhoidum fluxu sanata, ut notat RHODIUS *Cent. 2. observ. 57.* Ita cuidam cardialgia laboranti apertæ Hæmorrhoides maxime fuere salutares, ut scribit FOREST. *l. sæpius citato.* Sic varicibus lieni indurato, & arthritidi, hæc evacuatio utilis est, & prædixerat cuidam FORESTUS *l. c.* articulari dolore afflicto, apparentibus Hæmorrhoidibus consuetis iisque fluentibus, statim eum ab omni dolore articulari liberatum iri, nec eum fefellit sententia. Sic & salutaris in vomitu cruento, sputatione sangui nolenta, hydrope, in nephritide renumque passionibus aliis, uti FORESTUS quoque *l. c.* annotat quendam nephritide laborantem, in quo apertis consilio Hæmorrhoidibus incredibili celeritate dolor conquieverit. In Hypochondriacis utilem Hæmorrhoidum fluxum fuisse observavit, HOECHSTETTER *Decad. II. observ. 2. & Decad. V. obs. 2.* In vomitu spleneticorum vid. ETTMÜLL. *p. 123.* In Scorbuto, v. DOLÆUS *Encycl. lib. 3. c. 12. p. 563. 2.* Pariter gravidis Hæmorrhoides utiliter fluxisse iisque subsistentibus pejus se ha-

ſe habuiſſe monet SENNERTUS *lib. 3. prax. pr. 2. ſect. 2. c. 13.* & SCHOLIOGR. *ad cap. 55. l. 1.* HOLLER. *de morb. intern.* Ita & viduis aliiſque loco menſium commode fluxiſſe Hæmorrhoides expertum. In ſalutem quoque vergunt iis, quibus tubercula & maligna ulcera exoriri ſolent. vid. FORESTUS *l. 23. obſ. 3.* vulnera quoque, ſi ægre, vel non ad conſolidationem veniunt, apertis Hæmorrhoidibus curantur, ut obſervavit Jo. AGRICOLA *Chirurg. parv. T. 1. p. 9.* contra vero ſuppreſſio Hæmorrhoidum vulnera & ulcera reddit minus ſanabilia, ſed potius incurabilia. Liberat præterea fluxus à quartana, item à febre peſtilenti, ut ORIBASIUS refert, ſe hoc morbo correptum, detractis per venas inferiores ſanguinis libris duabus convaluiſſe, & omnes qui eodem remedio uſi eſſent, liberatos fuiſſe.

§. XXVIII. MALI OMINIS vero eſt, & in *pejus ruere* rem indicium eſt, ſi fluxus ſit ſymptomaticus, & nimius, & copioſior, diuturnior, & impetuoſior, ſi malignitas quædam ſubſit, ſi nullis aptis remediis fluxus ſe ſiſti patiatur, ubi tum ſimilia ſymptomata quæ ab aliis nimiis hæmorrhagiis oriri ſolent, ægrum affligunt, utpote virium lapſus, profuſio caloris nativi, imbecilitas crurum, & partium totius corporis, omnium viſcerum, præſertim hepatis refrigeratio, concoctio læſa, vividus faciei color perit, oculorum acies hebetatur, gravitas percipitur in coxis, appetitus perit, ita ut cibum averſetur æger, vel acceptum difficulter ferat, ſuccedit univerſi corporis laſſitudo, tabes, atrophia, leucophlegmatia, καχεξία, hydrops. vid. GALENUS *l. d. cur. rat. per. ſang. Miſſ. C. 19.* hydrops, aſcites, maraſmus ſ. febris hectica, impotentia ad Veneris exercitium, paralyſis, apoplexia, lipothymia, v. GALEN. *l. 1. d. art. cur. ad. Glaucon. c. 14.* & plura alia, vid. &. idem *l. 2. d. natur. facult. c. 8. & ſ. 4. aph. 25.* AETIUS *tetrab. 4. ſerm. 2. c. 5.* PAUL. ÆGINET. *l. 3. c. 59.* SENNERT. *prax. l. 3. pr. 2. ſ. 2. c. 13.* Imo mors ipſa ſæpius conſecuta, quale fatum Joannes Auſtriacus Caroli V. Imperatoris Filius ex cœcis Hæmorrhoidibus ſcalpro apertis expertus eſt, v. ZACUT. LUSIT. *Prax. Med. admir. l. 3. obſ. 59.* Sic Jacobus Horstius Medicus celeberimus ex inordinato hoc fluxu, ſuccumbentibus viribus, vitam cum morte commutavit, ut videre eſt apud GREGOR. HORST: *Epiſt*

Epist. Med. sect 10. p. 446. vid & *M. A. N. C. Ann. 3. obs. 331 p. 543.* & *decur. II. An. 1. abs. 42. schol. p. 118.*

§. XXIX. Cœcæ seu suppressæ Hæmorrhoides quatenus deficiunt, & sanguinem non excernunt, quem excernere consueverant, vel non debita quantitate & tempore eum amplius si non excernunt, vel si fluentes intempestive curentur, tum etiam varia symptomata secund. HIPP. *l. 6. Epid. s. 3. p. m. 1065.* oriuntur. In iis enim, in quibus sanguis vel quantitate peccans evacuari solitus est, & qui hoc profluvio imbelliores non facti, purgationem hanc, non ut morbum habebant, supprimitur, violentiori tum hac suppressione in corpore coacervatus & turgescens, qua data porta exitum molitur, aut inclinatâ, inpræcordia ac viscera, impurâ & vitiosâ materia, gravissimis morbis corripit ipsum corpus, obque hanc causam iis correpti male se & perniciose habuerunt: uti exempla horũ allegat HIPPOCR. loco sæpius citato. Sic GALENUS *lib. 2 de natur. facult. c. 8. & c. 6. de Venæs. advers. Erasistrat.* à suppressis Hæmorrhoidibus meminit hydropis, videatur & HIPPOCR. *sect 6. aph. 12.* A suppressis Hæmorrhoidibus Insaniam ortam fuisse, ex HIPP. *4. Epid Alcippi historiâ* confirmatur. Lassitudinem, sanguinis mictum, paralysin, ab Hæmorrhoidibus singulis mensibus alias fluentibus suppressis ortã vidit, v. GUIL. FABRICIUS HILDANUS *Cent. 2. observ. 17.* Mictus sanguinei exemplum dedit nobis THOM. REINES. *Epist. 44. ad Nest.* Hydropem interdum nasci ex Hæmorrhodibus internis non fluentibus notat Jo. RHODIUS *Cent. 3. Obs. 5. v.* & ROLFINCK. *Epit. Meth. cognos. part corp h. affect. l. 3. c. 9.* dedit & exemplum hydropis & mensium obstructionis FRID. LOSSIUS *lib. 3. observ. med. 26.* Et arthritidis observ. 24. Hæmoptyseos. AMAT. LUSITAN. *cent. 2. cur. 13. & cent. 5. cur. 3.* Ex suppressis etiam Hæmorrhoidibus arthritidem ortam fuisse notat quoque apud *Scholtz.* CRATO *Epist. Med. 236.* Et insaniæ ZACUT. LUSIT. *Prax. med admir. lib. 1. obs. 46. 47.* vid. præterea GALEN. *s. 4. Commentar. aph. 25. & s 5. aph. 33. & comment. aph. 22. sect. 3. & Meth. med. l. 9. c. 10. Et ad Glaucon. l. 1. c. 14. & libr. 2. de præsag. ex pulsu c. 4.* HORST. *Epist. Med. sect. 10.* AETIUS *tetrab. 3. serm. 2. c. 5.* Jo. JODOCUS RAAB *Disp. Inaug. d. fistul. th. 6. & 14.* SALMUTH. *Cent. 3. observ. 47.* & MARCELL. DONATUS

NATUS

NATUS *Histor. Med. mirab. l. 4. c. 19. p. m. 411.* Et FROM. *tr. d. Hæmorrhoidibus pr. 1. pbl. 49.* Sic & oriri solet melancholia, paraplegia, hæmoptysis, vomitus sanguineus, intercostalis inflamatio, cordis palpitatio, tumor pedum, lien scirrhosus & tumidus, nephritis, stranguria, &c. Quartanam è profluvio impedito ortam notat SOLENANDER. *sect. 4. consil. 20. pag m. 373.* Nec non fistulas fieri seu ulcus fistulosum, uti JO. GEORG SOMNERUS *apud Bonet. M. S. C. lib. 3. sect. 11. cap. 12.* notat; Ilei mentionem injecit BALLONIUS *lib. 1. consil. 63.* Pariter à suppressis Hæmorrhoidibus lethalem in Fabro ferrario alvi obstructionem observavit D REISEL *M. A. N. C. Decur. 11. An. 2. obs. 117.* Sic & THEOPH. BONET. *l, c. c. 1.* notat, à fluxu Hæmorrhoidum in Ilustri Fœmina suppresso per balnea vitriolota, scrophulas circa collum, ac Phtisin subsequentem lethalem, idem observavit, à fluxu hoc suppresso, quartanam, scorbutum, & mortem subsequutam fuisse. HOLLER *l. c.* ait. In nobili matrona quinquagenaria majore deprehendimus ex Hæmorrhoidum prius consuetarum suppressione cancrum in mamilla sinistra obortum.

§. XXX. *Periculosum* præterea & nonnunquam *lethale malum* ratione doloris est Hæmorrhoidum affectus, & in senibus præsertim dolor sæpe viam ad mortem sternit, non raro enim dum excermenta alvi ægri excernere volunt, propter ingentem quem patiuntur dolorem, sæpius animi deliquium incurrunt: *imo* ut ETTMÜLL. *pag. m. 153.* ait. *dum internis laborant Hæmorrhoidibus ex præterlabente stercore interdum tales sunt dolores, ut convulsiones superveniant. Scio ego exemplum mulieris hoc in loco, quæ, quando volebat excernere alvi excrementa, in animi deliquium cum faciei tumore, rubore & incalescentia incidebat, ex iisdem Hæmorrhoidibus cœcis: simulac vero excreta fuerunt stercora, cessabant omnia talia symptomata.* Et SCHENCKIUS *lib. 3. observ. 172.* notat, quod quandoque tantus sit dolor, ut per sympathiam vesica afficiatur, & urinæ succedat stillicidium.

§. XXXI. Periculosum denique, curatu difficile, & *lethale* sæpe malum sunt Hæmorrhoides cœcæ, si non rite tractatæ gravibus stipatæ sunt Symptomatibus, vel in alium morbum degenerant. In his enim, ubi sanguis stagnans non discutitur aut

dissolvi-

dissolvitur, ulteriori coagulatione induratur in scirrhos. vid. SANCHEZ *observ. p. 377.* qui refert exemplum de muliere mortua ex Hæmorrhoidibus cœcis, diuturnis; quæ ipsa post mortem dissecta, ostendit intestini recti terminum sex digitorum longitudine ad anum usque scirrhosum & induratum; simile exemplum vid in LAZAR. RIVER. *Cent. 3. obs. 7.* de dolore & inflammatione Hæmorrhoidum in tumorem durum degeneratium. Hæmorrhois præterea cœca & valde dolens non rite tractata omnium deterrima, in inflammationem quippe, indeque in ea, quæ eam sequi solent, apostemata, fistulas, perversa ulcera, gangrænam, aliaque vitia, imo mortem ipsam permutari potest. Si suppurantur aut exulcerantur, fistulam sæpe in ano relinquunt, eamque immedicabilem ut plurimum, propter partis mollitiem & humiditatem, quæ ulceris exsiccationem difficillime admittit, vid. RIVER. *prax. l. 10. c. 11.* FELIX PLATERUS *lib. 2. obs. p. 454.* Senem quendam & matronam ob Hæmorrhoidalium venarum internarum inflammationem & exulcerationem longo tempore divexatos, & tandem nullis juvantibus remediis extinctos se observasse scribit. Vid. & JOHAN. AGRICOLA *Chirurg. parv. T. 5 p. m. 594.*

§. XXXII. Pedem promovemus ad CURATIONEM: ad tria autem, in cura rite administranda, Indicationum genera respicere debet Medicus, ad Curatoriam nempe, ut tollatur auferaturque ipse morbus, seu dispositio præternaturalis in ipsa parte hærens, Præservatoriam, quæ causas, ut removeantur aggreditur, & denique Vitalem, seu Conservatoriam rei naturalis, quæ virium partisque roboratione potissimum absolvitur.

§. XXXIII. Quod itaque INDICATIONES attinet, illæ respiciunt vel Hæmorrhoides nimis, copiosius & immodice fluentes, quæ moderate & debito modo sistendæ, si fluxus vero earum diutius quam par est, duret, aut diuturnus sit, consuetus, & sæpius redeat, tunc is non confertim, simul, atque in universum sistendus, sed paulatim, ita tamen, ut una aperta, (si aliter fieri non potest, & natura, utut in subjecto vel statu minus naturali, ad majora mala avertenda, jam assueverit saburrã suam hic cõmode evacuare,) servetur: naturæ enim minus trita via nõ est monstranda facile; in curatione quippe Hæmorrhoidum attendendus semper est naturæ motus, & constitutio subjecti plus minus vel sana

vel

vel morbida, h. e. chronicis affectibus plus minus obnoxia, seu habeatur semper ratio individui & peculiaris naturæ ægri, an sc. è consuetudine & statis intervallis soleat eò modo repurgari. Fluxus vero si recens sit, à causa externa, vulnere sc. percussione, &c. si solum sit adventitius, si in ætate infantili seu puerili, tunc is sisti potest. Non autem nec nisi cum cautione, si à contracta à parentibus hæreditaria dispositione, si à causa aliqua interna, si accidat in ætate juvenili, virili vel senili, si corpus simul sit cacochymicum, si sit symptomaticus. Sin vero Fluxus sit moderatus, criticus & cum εὐφορίᾳ ægri, & modum teneat, tum totum negotium naturæ bene operanti est committendnm. Si vero parcius fluant, motus naturæ est promovendus. Si antea fluere consuetæ erant, cum δυσφορίᾳ autem supprimuntur, suo tempore denuo ut fluant, annitendum, quod si id obtineri non possit, sanguis ad eas alias affluxurus est revellendus, derivandus, inflammatio prohibenda, & dolor mitigandus. Hæmorrhoides cœcæ seu dolentes, si nunquam antea fluxerint, nec ex usu sit ut fluant, nec spes sit eas esse fluxuras, tum opera danda, ut discutiantur, & exsiccentur, & quantum licet præcavendum, ne iterum intumescant; perraro enim, idque in chronicis saltem affectionibus, & in subjectis tantum tali evacuatione opus habentibus, aut eam facile ferentibus, aut alias fluentibus, aperiendæ, præsertim ubi suppresſâ solenni sanguinis evacuatione, natura quasi sponte eò inclinat. Semper vero dolor earum sistendus.

§. XXXIV. Ut autem specialiter rem aggrediendo, ordine & methodice procedamus, primo INDICATIONEM PRÆSERVATORIAM seu CAUSARUM ABLATIONEM, quæ inventione secunda, exsequutione prima est, considerabimus; ad felicem quippe morborum curationem instituendam, nil melius & utilius quam causarum indagatio, & utinam hoc causarum scrutinium non adeo sæpissime esset abstrusum, tantisque obscuritatum nebulis obfuscatum, quod Practici, tacito pectore in curandis morbis quotidie ingemiscentes, satis superque sæpius experiuntur. Missâ factâ causâ Immediatâ, mediatas considerabimus, quæ sunt Humores. Hinc si Plethora in causa fuerit, tum omnia ea præsidia, quæ ad sanguinis abundantiam minuendam

 ab Artis

ab Artis Proceribus extolluntur, in usum trahi possunt. Sin Cacochymia adsit, tum & ea tollenda, & minuenda, & corrigenda, per ea, quæ alvum subducunt, quæ vomitum, urinam, sudorem, &c. movent, & quidem educenda pr. n. humorum saburra ista per loca conferentia, secundum HIPPOCRAT. *sect. 1. Aph. 21.* Sic ratione qualitatum, si vitium conceperint Humores, tum alterantia contraria, corrigentia expostulant, frigidi calida, & calidi frigida, crassi attenuantia, salsi serosi & acres attemperantia, aquosi & tenues incrassantia & siccantia, viscidi incidentia, lenti detergentia, volatiles fixantia requirunt, & si malignitas quæpiam subsit, & alexipharmaca adhiberi possunt. Si Bilis vel biliosi humores copia vel qualitate peccent, Vomitus, præcipue si materia ad superiora vergat, sitis adsit, os amarescat, &c. ex HIPP. *f. 4. Aph. 17.* imperandus, lenis etiam aliqua purgatio cholagoga, vel V. sectio parca & pauca imperanda, adhibendaque ea, quæ bilis fervorem, impetum atque volatilitatem temperare atque coërcere, ὀργασμὸν cum rarefactione conjunctum tollere, sulphur obtundere, & sal volatile figere atq; invertere solent. Sin pituitosus sit humor, is prius incidendus, attenuandus, & præparandus, præparatus è corpore per convenientes vias evacuandus. Sin Melancholia vulgo sic dicta, (scapham enim scapham libenter appellamus, ne confusio oriatur,) auctor mali existat, tum acrimonia ipsius & pontica austeritas corrigenda, & attemperanda, crassities, visciditas & Tartarea ejus qualitas incidenda, siccitas humectantibus demulcenda, & debito modo præparata educenda. Sin serum abundet in corpore & particulis Salinis, acribus aliisque fuerit impraegnatum, tum id per purgantia, diaphoretica, diuretica, absorbentia, invertentia, præcipitantia, aliaque, &c. evacuandum & corrigendum. Sin Flatus in causa fuerint, & ii sunt educendi & discutiendi, & causa ipsorum, utpote tenax & viscida & acida pituita per carminativa dicta, est incidenda & eliminanda. Sin vero humores motum excedant & depravate moveantur, tum motus humorum pr. n. est placandus, compescendus, turgescentia & ὀργασμὸς refrænandus, effervescentia & fermentatio indebita sedanda, accensio nimia sanguinis supprimenda, cordis motus impetuosior sanguinem nimis rapide circumpellens per sufflamina idonea deprimendus

mendus, & ſpirituum impetuoſior motus ſopiendus, ad ſtatum naturalem reducendus, motus contrarius conciliandus, & ad alia loca humor deducendus, quod per vulgo dicta revellentia, avertentia, derivantia, evacuantiaque præſidia obtineri poteſt, v. gr. per purgationem blandam è Syrup. ros, ſolut. d. ſpina cervina, manna, rhabarbaro & ſimilibus, aliquoties inſtitutam, per Venæ ſectionem in brachio, ſed parcam & blandam, per cucurbitulas hypochondriis, interſcapulio, humero affixas, frictiones, ligaturas partium tum inferiorum, tum ſuperiorum, fotuſque brachiorum; per opiata itidem, ſi dictis antea præſidiis impetus ipſius ſanguinis & Humorum ſe coërceri non ſivit. Imminute qui moventur Humores, indicant quoddam adjuvans circulationem ſanguinis naturalem nonnihil deficientem, motumque iſtius promoventem: Si enim parcius ad dicta vaſa feratur ſanguis, tum eo ducendus & alliciendus per V. ſectionem in cruribus & pedibus inſtitutam, per pediluvia, ligaturas, frictiones & ſcarificationes. Si quieſcat humor ςάσει, quiete torpeſcat & ſtagnet, tumq; ea ordinanda quæ ſtagnationem tollere, humores reſolvere, ab acido liberare, craſſitiem incidere, duritiem emollire, eos fluxiles reddere, & naturalem ipſis motum in circulum reſtituere poſſunt; vid. GVERNERVS ROLFINCIVS *Ord. & Meth. Med. Spec. Comment. l. 4. ſect. 1. c. 15.* Quod ſi malum ſit per συμπάθειαν vel totius corporis- vel particularium viſcerum, utpote hepatis, lienis, uteri &c. vitio, tum curatio ad partem principaliter & primario affectam, eſt dirigenda, & medicamenta viſceribus iſtis appropriata in medium ſunt ſumenda. *Quum ergo,* ut obiter hoc è JOH. FERNELII *Univers. Med. l. 1. c. 4. p. m. 181* quoad cauſarum ablationem annotemus, *longior quædam continuatio ſeriesque cauſarum exiſtit, in qua alia ex alia naſci & exiſtere, & omnes inter ſe aptæ connexæque videbantur, ſuo quæque ordine demenda erit, ab ea curationis ducto exordio, quæ ortu prima inveſtigatione vero poſtrema fuerit inventa. Ab hac ſenſim ordinatimque ad cæteras, poſtremoque ad morbum progreſſus fiet, ſuo cuique objecto contrario.*

§. XXXV. Causâ ergo primum ablatâ, genitus dein affectus quoque ſummovendus. Morbus autem hic, qui ſui remotionem requirit, eſt uti §. 8. dictum, vel ἀναστόμωσις, quæ

vasorum ora claudentia, obturantia, & adstringentia, ἢ διαπήδησις, quæ condensantia & incrassantia, ἢ διαίρεσις ἢ ῥῆξις, quæ sarcotica, conglutinantia, &c. expostulat. Vel si ἔμφραξις & obstructio adsit, tum ea per aperientia, incidentia, abstergentia, attenuantia, diuretica & diaphoretica tollenda, si σύμφυσις vero & coalitus partium, tum cicatrix & coalescentia ista erit dividenda. Sic constipatio aliaque, sui contrarium desiderant: sic & Intemperies, morbusque similaris, cum vel sine organico conjunctus, per contraria erit removenda, *ita in medendi arte omnia inter se collata è regione respondere debent, ut quot affectus contra naturam, totidem & existant medicamentorum facultates, parque sit affectuum atque remediorum numerus*, ut loquitur idem FERNELIVS *l. c. c. 2. p. m. 180.*

§. XXXVI. Ab ordinaria in morbis medendi methodo nonnunquam Medicus deviare necesse habet, si scil. è symptomatum violentia vitæ quoddam periculum imminet: licet enim Symptomati qua Symptomati nihil debeatur, tamen cum induat aliquando naturam alicujus causæ morbificæ, vel novum morbum generantis, vel vires nimiopere prosternentis, &c. tunc illi aliquid debetur, indicatque sui ablationem. Pariter Dolor, frequentissimum in Hæmorrhoidibus tum fluentibus tum præcipue tumentibus & suppressis Symptoma, tantus nonnunquam est, ut neglecto ad tempus morbo & caussa morbifica, adversus hoc gravissimum Symptoma stare, & generosis remediis contraire & pugnare necesse habeamus, alias invalescente hoc hoste, vires nimium resolvuntur, vigiliæ, inflammationes aliaque mala augentur, natura ad resistendum infirma, ægerque ferendo oneri impar redditur. Sedatur vero & tollitur ipse Dolor per Anodyna, Paregorica atque Narcotica, quæ & qualia autem ista sint, vid. apud ROLFINCIVM *l. c. l. 4. s. 1. c. 17.* GEORG W. WEDELIVM *in Amœnitat. Mat. Med.* MACASIUM *Promptuar. M. M. aliosque*. In horum autem dolorem sedantium usu (omnibus probe antea secundum prudentiam Medicam perspectis, & debito tempore, & legitima dosi, applicatis,) notandum, quod ii qui mediam hic ingrediantur viam, tutissimi, ob metum malorum & periculorum tum sibi tum ægro potissimum imminentium, incedant. *Nam*, ut GALENVS *lib. 12. Med. Meth. c. 1.* ait.

ait. *Et qui ægris gratificantur in eorum medicamentorum usu modum excedunt; & intempestive immodiceque sunt animosi, dum prorsus horum usum refugiunt, doloribus ægros jugulant. Ergo veluti in omni totius vitæ tum habitudine quum actione, ita hic quoque consilium istud sapientis, qui, Ne quid Nimis, dixit, complectemur, habentes pro fine, quo tendamus, cubantis utilitatem.* Dolor denique etiam sedatur, animadvertentiam ægri ad alia objecta seducendo, pluribus enim intentus minor est ad singula, & sic etiam ad Dolorem sensus.

§. XXXVII. INDICATIO tandem VITALIS nec erit negligenda, quæ omnium debet esse prima: *maxima* quippe, ut GALENUS *l. 9. M. M. c. 13.* ait, *Dignitas ipsarum est virium; quando vivere ipsum nobis ex harum custodia constat, utpote cum vitam aut ipsas esse vires aut earum actiones sit necesse.* Pars itaque à morbo labefactata & debilitata ad statum naturalem rursus revocanda, & roboranda, ne iterum à materiæ morbificæ insultu infestetur, viscerum etiam temperamentum & tonus confortandus, humores spiritusque in sua substantia, quantitate & qualitate & motu conservandi, conservandæ & actiones & excretiones naturales, conservandæ uno verbo vires adhuc integræ, & labascentes restaurandæ, per alimenta, potulentaque imprimis & medicamenta roborantia, cordialia, specifica, visceralia, &c. Et hæ sunt præcipue indicationes, quarum mentionem injecisse sufficiat, pergimus nunc ad ipsam auxiliorum materiam, hisce indicationibus adimplendis idoneam scilicet ad fontes triplices, è quibus ipsa auxilia pro tollendis Hæmorrhoidibus petuntur.

§. XXXVIII. Ex FONTE itaque CHIRURGICO primo loco merito petimus ipsam VENÆ SECTIONEM, quam & in nostris hisce affectibus omnino tanquam rem in salutem ipsius ægri persæpe necessariam commendamus. Administretur ergo tanquã præsidium evacuatorium, si Plethora & sanguinis abundantia effatu digna adsit, si V. sectio alias consueta in corpore sanguine turgido fuerit intermissa, vel solemnis aliqua sanguinis tum è naribus tum ex utero evacuatio suppressa sit, vel si sanguis ipse ob conceptum orgasmum vel effervescentiam, fermentationem & ebullitionem turgescat, & impetuosius moveatur. Admini-

strari

ſtrari poro debet V. ſectio revulſionis, (utut revulſionem hanc ſpecioſe prætenſam & è nugis Galeni loquaciter delirantis natam, non tantum irritam, ſed & damnoſam & frequentius repetitam, periculoſam æſtiment quidam) averſionisque gratia (ut cum veteribus ita loquar) pro fluxu Hæmorrhoidum nimio ſiſtendo, ſi vena brachii ſecetur; ſic enim, uti quoque in nimio menſium lochiorumque fluxu compertum, præſentem hic ſæpe pollicetur opem; detrahendus autem ſanguis in majori quidem copia, ſi plenitudinis ſigna appareant, ſi nondum magna ſanguinis quantitas per Hæmorrhoides effuſa ſit; & vires nondum attriverit, alioqui in exigua quantitate & partitis tantum vicibus erit detrahendus, vid. REINER. SOLENAND. *ſect. 2. conſil. 20.* In Cœcis pariter Hæmorrhoidibus pro præſidio evacuatorio inſtituatur V. ſectio in brachio, & utiliter quidem antequam aperiantur Hæmorrhiodes cœcæ, præcipue in Plethoricis, uti enim PETRUS SALIUS DIVERSUS *in annot. ad libr. Altom. c. 76. p. m. 449.* ait. *pro curatione Hæmorrhoidum* ſcilicet cœcarum docet (Altomarus) *ſecandam eſſe malleoli venam ex Galeno, quoniam hæc Vena ſecta Hæmorrhoides provocat. In qua re non ſit præceps Medicus, ſtante ſanguinis plenitudine; quoniam ex hac ſectione ſæpe maximo adeo impetu ruit ſanguis ad partes inferiores, & præcipue ad locum affectum, ut inde pejor ſuccedat affectio, hincque viderim ego in tali caſu maximas ſucceſſiſſe inflammationes, & aliquando etiam gangrænas. Quare ſtante ſanguinis plenitudine non ſecentur inferiores, ſed potius ſuperiores venæ, & hoc præcipue ſervandum, ubi ſit intentio tantum leniendi dolorem non provocandi Hæmorrhoides. Ubi enim non ſit intentio provocandi eas, tutius eſt in omni caſu ſecare ſuperiores, & eò magis, ſi eas cohibere volumus, ut ibidem habet Galenus.* Derivationis ergo gratia ſi provocare Hæmorrhoides animus eſt, in talo ſecunda vice, ſi plenitudo abſit, V. ſectio inſtitui poteſt; conſentit, GALENUS *qui l. d. cur. rat. per S. M. c. 6.* ait, *At ſi retentæ Hæmorrhoides mittendi ſanguinis occaſionem præſtiterint, ſiquidem cohibere eas voles; quæ in brachio ſunt: ſin provocare, quæ in cruribus conſiſtunt, venas ſecare convenit. In iis, qui repreſſi ſunt menſes, ſemper in cruribus*, nec abludit ZACUT. LUSIT. *l. c.* qui in curatione Hæmorrhoidum cœcarum ſectio-

nem

nem venæ, in talo quæ est, si sanguinis missio è brachio non contulit, & purgantis clementis administrationem suadet. Quantitatem sanguinis educendam adeo stricte non determinamus, cum ista pro causæ, morbique magnitudine & varietate, virium, ægroti, sexus, ætatis, habitus corporis, consuetudinis, anni temporis, & regionis, &c. ratione, nunc in majori nunc in minori dosi educi possit, & interdum vel plane omitti, vel in aliud tempus ipsa V. sectio differri possit. Verum cum sanguis probe conservandus nec temere profundendus sit, consulimus cum ETTMÜL. *fol. 52.* non imitandam esse effrœnem quorundam licentiam, qui ut in sanguinis turgescentia febrili, ita etiam hic in nimio Hæmorrhoidum profluvio copiosissime & frequentissime V. sectione sanguinem detrahunt, cum potius effervescentia ista nunc acidis moderatis v.g. julepis acidulis, nunc fixis volatilibus temperatis, (pro causæ occasionalis varietate) & præcipitantibus aliis, compescenda, & debitis diaphoreticis sanguinea Massa ventilanda esset.

§. XXXIX. SCALPELLUM seu Lancettam vulgo dictam pro aperiendis Hæmorrhoidibus cœcis ipsis ani vasis non reformidamus applicare, ipsisque ægrotantibus suadere, (dissuadentibus licet eam plurimis, ob infaustum nonnunquam successum) ut operationem hanc subeant: cum eas compungi multi sanguinis affluxu distentas novum non sit, sed sæpe cum à peritis Medicis, tum à vulgaribus usitatum. vid. M. AUR. SEVERINUS *Chirurg. Effic. lib. 1. pr. 2. c. 17.* approbat & ejus usum GEORG. VELSCHIUS *obs. Med. Phys. 98.* JO. CHR. FROMMANNUS *l. c. pr. 2. pbl. 26.* SWALVE *disquis. Therap. sect. 6. p. 112.* PARÆUS, *aliique.* Non tamen facile ad operationem hanc accedendum esse auctores sumus, sed, cum uti extremo morbo extrema etiam debentur remedia, reliqua auxilia pro apertione Hæmorrhoidum cœcarum in usum trahi solita nihil conferant, & ob dolorem magnum, frictionibus asperis, & externis medicamentis aperientibus tuto reserare non liceat, vel venæ ob crassitiem & densitatem quam habent, apertionem negent, vel sanguis ipse inibi contentus & stagnans, ob nimiam multitudinem, limositatem, grumescentiam & crassitiem, specificorum usu absumi

ſumi vel diſcuti, aut remeare in circulum nequeat; tum tumentes hæ venæ ſcalpello, vel alio convenienti vices ejus dextre gerente inſtrumento, ut hamuloſo dipſaci pericarpio (non indiſcrete tamen) applicatis prius circa ſedem defenſivis, factaque diætæ debita proviſione, accedente prudenti & circumſpecta ad quaſvis circumſtantias ipſius Chirurgi auxiliatrice manu, aperiri poſſunt, quæ enim alias exinde pertimeſcenda eſſent pericula, ea facile & Chirurgus & Medicus prudens evitare poſſunt.

§. XL. *Ubi virtus, ætas, timiditas aliudve obſtaculum vel nullo modo mitti Sanguinem, vel reiterari ex vena non patiuntur, magno auxilio in locum V. ſectionis ſuccedunt* CUCURBITULÆ cum vel ſine ſcarificatione, *nam hoc, ut minus vehemens, ita magis tutum præſidium eſt, ut* ZAC. LUSIT. *l. 1. Med. Princ. Hiſtor. obſ. 8. p. 25. loquitur. In omnibus vero laudabiliter menſes, Hæmorrhoidaſque ſuppreſſas provocant, remoratas accelerant*, cucurbitulæ in cruribus ſacrificatæ. Inferioribus quippe partibus v. gr. ſuris appoſitæ pro apertione Hæmorrhoidum quam maxime conferunt; continua enim ſic in inferiores partes ſanguinis deductio dum fit, inclinatio proniorque ipſi via monſtratur, & tacite quaſi huc ſollicitatur, ut natura hanc viam ſemel atque iterum ingreſſa, magis præ alia hac via poſtmodum utatur: pariter res evenit in mulieribus, quæ ut iis de more purgationes menſtruæ redeant, cucurbitulas cum ſcarificatione carnoſis ſuris maximo cum commodo applicant, uti feliciſſime eas applicatas in duabus puellis virginibus ad menſes aperiendos ſuppreſſos notavit GUERN. ROLFINC. *l. c. l. 4. ſ. 4. c. 7.* Ita & pro Hæmorrhoidum nimis fluentium reſtrictione, è FONSEC. *conſ. 82.* applicare poſſumus cucurbitulam cum vel ſine ſcarificatione, præcipue vero cum multa flamma, modo ad hypochondrium dextrum modo ad ſiniſtrum, caute tamen, nec ad id confugiendum, niſi cæteris remediis irritis, & poſt Venæ ſectionem: ſcapulis item, & lumbis & coxis &c. pro revulſione v. RIVER. *Prax. l. 10. c. 10.* Similiter in nimiis uteri hæmorrhagiis ex conſilio HIPP. *ſect. V. aph. 50.* Solemne eſt Medicis, pro fluxu nimio ſiſtendo, cucurbitulam ad vel infra mammas apponere, ut & appoſuit BINNINGER. *Cent. 1. obſ. 33. p. 35.* vid. etiam FORESTUS *l. 28. obſ. 13. & ſeqq.*

§. XLI.

§. XLI. Sequuntur HIRUDINES, quæ utiliter quoque ubi V.S. ſine fructu inſtituta, & Frictiones aſperæ & Lancettæ applicatio minus tuto in uſum trahuntur, ano, ſanguine prius notato loco, vel ipſius Chirurgi manu, vel in cannula aliqua, ſeu alio inſtrumento ad id apto pro apertione cœcarum apponuntur, uti enim ZACUT. LUSIT. *Hiſt. Med. Princ. l. 1. obſ. 6. quæſt. 4.* loquentem introducit ACTUARIUM *l. 4. c. 6.* dum ait. *Quod ſi obfirmata fluxio, neque revulſionibus cedit, neque epithematis lenitur, metuſque eſt, ne temporis ſpatio in abſceſſum abeat, hominemque in aliud morbi genus deducat, Hirudines cœcis Hæmorrhoidibus admovendæ: ubi enim jerit ſanguis, æger melius deget.* & PETRÆUS *Noſol. Harm. diſſ. 32.* ut notat FROMMAN. *l. c. pr. 2. pbl. 27.* Eas ceu ſpecificum & determinatum Hæmorrhoidum remedium vocat; quatuorque hirudines viro alicui feliciter applicuit, ut extraherent uncias ſex ſanguinis. Et LUSIT. *l. c. l. 1. quæſt. 4.* notat. Aurifabrum quendam ex defectu conſuetæ vacuationis per Hæmorrhoidas in melancholiam incidiſſe, admotis autem hirudinibus & ſubſequuto largo ſanguinis effluvio curatum, Laudant præterea earum uſum in Hæmorrhoidibus aperiendis HIER. FABR. AB AQUAPENDENTE, *oper. Chir. pr. 1. cap. 94.* THOMAS BARTHOL. *A.R. p. 634.* BORELLUS *Cent. 1. obſerv. 63.* IONSTON. *Prax. p. 543.* FONSEC. *Tom. 1 conſil. 27.* MINDERER *d. medic. militar. p. 263.* SEBIZ. *diſp. d. Hæmorrhoidibus §. 110.* AM. LUSIT. *Cent. 5. cur. 3.* SENNERT. *Prax. lib. 3. ſect. 2. c. 13. quæſt. 3.* PLATERVS, aliiq;. Imo tota Veneranda Antiquitas in pleriſque morbis procacochymiæ ſplenicæ & meſentericæ depletione, & melancholicorum morborum & hypochondriaci mali ſublatione, ad Hirudines Hæmorrhoidibus appoſitas, tanquam ad ſacram anchoram confugiebant; nec recentiores earum uſum negligunt, uti è ſcriptis horum abunde patet. Locus applicandi variat, vel enim externis venis applicantur, vel internis, ſin vero præſtat internis minus conſpicuis affigere, tum ut eæ ad hirudinum impoſitionem emineant, cucurbitulam totum anum comprehendens, applicat ZACUT. LUSITANUS *Prax. M. adm. l. 2. obſ. 74.*

§. XLII. Progredimur nunc ad ipſos FONTICVLOS, qui ut ait, STRAVSS. *Palæſtr. Med. Part. 3. γυμνασμ. 9. §. 12.* non contemnendam tam cœcis quam apertis Hæmorrhoidibus adferunt

ferunt

ferunt opem. *Nam si*, ut ZACUTUS LUSITANUS *lib. 1. Histor. Med. Princ. obs. 18.* ait, *ex sanguinis ubertate ac copia, vel ex ipso plus seroso, tenui, fluxili & actuoso hic affectus concitetur, & neque sistentibus auxiliis, venaque sectione in brachio celebrata revulsionis causa levetur hoc malum, tunc fontanellæ in cruribus apertæ derivationis gratia summopere prosunt.* Unde & loco purgationis & V. S. in Hæmorrhoidibus fieri possunt Fontanellæ, & quidem inurantur revulsionis ergo in brachio seu parte quadam superiore, vel ad derivationem in cruribus &c. quo sanguinis cacochymiam, & vitiosos redundantes humores huc quasi sollicitatos & à parte revulsos evacuent & excernant. De operandi autem horum modo ne prolixi simus; vid. Jo. MUYS *Chirurg. ration. decad. 1. obs. 2.* Non autem ad hoc remedium statim accedendum esse auctores sumus, sed tum, ubi aliis frustra prius adhibitis, & per purgationem & V. S. toti corpori sit prospectum, ubi malum est chronicum, & diuturnum, ubi materia sensim & assiduo generatur, ubi fluxus non adeo est copiosus & continuus, ubi affectus inducias patitur, & mature facto opus non est, ubi remedia permutanda in corpore juvenili, &c. Egregiam vero opem præstitisse in hisce affectibus præter alios exemplo comprobat, ZAC. LUSITANUS *Prax. M. adm. l. 2. obs. 73.* & VELSCHIUS *Hecatost. II. obs. 80.*

§. XLIII. Nec inutiles putamus FRICTIONES duriores, pro remedio revulsorio tum in apertis tum in cœcis Hæmorrhoidibus, dum enim motu isto partium calor suscitatur & vegetatur, sanguisque magis allicitur copiosiorque affluit, partes carnosæ laxiores & perspirabiliores, & ad humores recipiendos patentiores redduntur, prohibent, quo minus vitiosi humores stagnent, contra humores excrementitios alias ad partem affectam ruentes, per partem frictam secretioni aptiores reddunt, & hinc & ob poros apertos acrium aliorumque fuliginum transpiratio liberior contingere potest. Instituuntur autem istæ frictiones præcipue in brachiis, vel pannis asperis, vel sacculo simplicibus remediis calidis repleto, vel manibus oleo aliquo seu liquore appropriato madefactis, vel spongiâ vino aut decocto aliquo repletâ, vel fol. ficus, parietar, serratul. &c. vid. FRANC. *disp. d. Hæmorrhoidibus. 22.*

§. XLIV. Egregium quoque usum merito tribuimus

ipsis

ipsis LIGATURIS in sistendo nimio Hæmorrhoidum fluxu, & pro refrænando sanguinis orgasmo & impetu, pariter uti in nimio mensium lochiorumque fluxu sistendo nostræ obstetricantes mulierculæ toto die earum prosperum successum subinde experiuntur. Sint autem eæ fortes & dolorificæ in brachiis & extremis manuum pedumve digitis, duobus una junctis, non tamen una in omnibus institutæ, quæ subinde etiam solvendæ & in alias partes transferendæ, ne à copia affluentis sanguinis regressum non invenientis inflammatio, gangræna & leipothymiæ oriantur. Pariter & quidam ceu remedium revulsorium incurvationem minimi digiti, ob vehementem compressionem & intensum dolorem proponunt; quantum enim sanguinis ad partes ligatas dolore afflictas accedit, ex earum mente, tantum à partibus remotioribus eodem turgentibus quoque decedit.

§. XLV. Ultimum inter præsidia Chirurgica tenet locum ipsa LIGATIO, SECTIO & USTIO vasorum Hæmorrhoidalium, quæ tanquam extrema remedia in immoderato profluvio & frustraneo omnium medicamentorum usu, præsente ipsius vitæ periculo, eligere possunt ii, qui dolores morti ipsi præferre non recusant. *Spes quippe dubia*, monente CELSO, *certa desperatione potior est*. & *Quanto itaque satius est*, inquit GALENUS *l. 10. Meth. Med. c. 10. aliquid nonnulla fiducia, vel cum periculo facere, quam spe adempta certo perire: tanto profecto satius est potentibus præsidiis pugnare, quam nihil agere*: Si igitur impetrata ab ægrotante in corpus suum agendi potestate, ad manus operationem veniendum sit, vacuato prius probe corpore per V. S. & purgationem & Vomitum &c. ne alias inopportune & intempestive curati graviora iis accidant mala; æger E. primum bene collocetur, & eo vincto scalpello vel alio convenienti instrumento vasa à subjecta carne vel cute liberanda, deinde acu filo forti obducto, perforanda arcteq; vincienda, tandem Hæmorrhoidum caput abscindendo, ferro ignito ad oboli formam lato singula vasorum ora tangenda urendaque, ac postea eschararæ casus & ulceris curatio consueto modo peragenda. Vel etiam sine incisione ægro recte collocato, sedibusque digitis seu clamore quam maxime foras eductis, candentibus admotis ferramentis singula vasorum ora sanguinem fundentia adurantur, quoad resiccentur, ita tamen ut ne contingas, nullaque relinquatur

inusta. In quam rem etiam Jo. RHODIUS *Cent. 2. obs. 94.* ita loquitur. *Lamina candente mox admota (post præmittenda præmissa) cominus Hæmorrhoides contrahuntur ac veluti corrugantur, quæ in suum repositæ locum ne denuo procidant, annulo ferreo dextre cohibentur.* Plura circa operationem notanda omitto. videri pluribus potest idem citatus HIPPOCR. *l. d. Hæmorrh. M. A.* SEVERINUS *Pyrotechn. Chirurg. l. 2. pr. 1. c. 97. &c.* Liceat autem nonnullis hæc administratio feliciter cesserit, uti testis est ALEXAND. MASSARIAS *l. 3. prax.* & SCULTETUS *Armam. Chirurg. p. 105.* tamen non nisi extrema urgente necessitate eam ægris suademus. Nec ratio suppetit quare iis suadenda, cum teste RIVERIO *prax. l. 10. c. 10.* operatio hæcce quam laboriosissima sit & valde periculosa, dolores atrocissimos, febrim, inflammationem, gangrænam & alia mala inducat, nostrisque his temporibus obsoleverit fere & in desuetudinem abierit, nullique ægrotantium hæc operatio facile persuaderi poterit, & ut STRAUSS. *l. c. pr. 3. γυμν. 9. §. 13.* ait. hæc ἐγχείρησις dictu quam factu facilior, unde & AQUAPEND. *l. c.* cum Hæmorrhoides tumentes medicamentis potius, quam Chirurgia se sanasse profiteatur, & nos eâ relictâ ad illa accedimus.

§. XLVI. In FONTE itaque PHARMACEVTICO primum sese offerunt ipsa Purgantia, quorum usum quidam exterminare satagunt, hac suspicione inducti, quod fluxus iste præsens qui supprimendus potius quàm proritandus, per pharmaca ista acriora, fores ad majorem sanguinis profusionem faciendam magis apertas habeat, & quod in Cœcis dolor tumorque per uberiorem sanguinis affluxum magis ingravescat & augeatur. Verum si quid tale eveniat, id purgantibus fortioribus, generosis, & δραστικωτέροις adscribendum, quæ humores exagitant & ad partem affectam commovent, quæque alvum & intestina & corpus turbando, naturæ constitutivos & bonos liquores vitæ furto in fœtidum, variegatum & cadaverosum liquamen æque in sanis ac ægris indifferenter solvunt, & tale quid in corpore non inveniunt, sed faciunt & abradunt, nullâ ægri, vel saltem perfidâ & momentaneâ alleviatione, ut loquitur CNOEFFEL *in Theoph. Bonet. Med. Sept. Coll. l. 3. sect. 11. cap. 16.* non vero mitioribus, blandis, benignis & minorativis, quæ humores biliosos aliosque ad in-

ad inteſtina deducendo ſanguinem mundant purificantque, eò modo forſitan, quo maculæ linteo nec lacerato nec deſtructo, ſed mundato & integro illo, per ſaponem eluuntur; & horum uſum merito in foro Medico ad ſalutem ægrotantium retinemus & commendamus; talia ſunt, Manna, Caſſia, Tamarindi, qui notante RIVERIO *l.c.* præcipue ad compeſcendum hujuſmodi ſanguinem fluentem, miram quandam poteſtatem habent, tam decocti quam in ſubſtantia uſurpati. Imo pruna noſtratia acidula, quæ aliquo modo Tamarindos æmulantur, frequenter eſitata ante alios cibos, huic rei etiam conducunt; myrobalani item, & rhabarbarum, de quo OL. BORRICHIVS (prout annotavit *Theoph. Bonet. M. S. C. l. 3. ſ. 11. c. 13.*) inquit: *Fuere, quibus evacuationibus ejuſmodi menſtruis tentatis opem efflagitantibus ſolo infuſo rhabarbari ſuccurri; ternis obſervans alvi ſolutionibus inter purgandum vix tantum cruoris effundi, quantum una vice extra purgationis tempus excerni ſolet; imo ſæpe in ipſa purgatione ne guttam ſanguinis profluere, aversâ alio humorum rodentium acrimoniâ.* Nec excludendæ ſunt Pilulæ D. Baldaſſ. Glaſii, item Francofurtenſes, item Syrup. violar. ros. ſolut. d. mann. lax. flor. perſic, de cichor. c. rhabarb. Electuar. de Tamarindis d. fol. Sennæ, &c. Et ratio ſuadet, hæc fluentibus convenire Hæmorrhoidibus, cum ob κακοχυμίαν in corpore præſentem fluxum hunc ſæpius cauſantem, nullum aliud ſit indicatum ab indicante monſtratum quam purgatio blanda, quæ vitioſos iſtos acres ſtimulantesque humores partim evacuet, partim revellat, & monitore STRAUSSIO *l. c. fruſtra de ſiſtendo fluore conſilium initur abſque corporis præparatione vitioſorumque humorum evacuatione præmiſſa*, id quod manifeſto exemplo comprobat, SOLENAND. *ſ. 4. conſil. 22.* vid. & WEDEL. *Opiolog. l. 2. ſect. 2. c. 5.* & COSTERUS *Tab. 55. p. 209.* qui caute admodum præſcribere docet ipſa purgantia, & ſi præſcribenda, ſint ea Lenientia, & ſæpe numero interpoſita aliis, eo potiſſimum caſu, quando bilis copioſius in inteſtina lata fluentium Hæmorrhoidum curſum continuat. Et hoc de Cœcis quoq; ſentiendum, in quibus nil gratius & acceptius & Medico & ægrotanti eſt, quam laxam & apertam ſemper videre alvum; alvi enim adſtrictione, quæ alias hic valde familiaris exiſtit, per laxans ſublatâ minor fit dolor &

tumor, & vaſa etiam obſtructa ab apparatu morbifico, irritantur & ſtimulantur nonnihil per purgans, ut ſanguis exinde alias ſuppreſſus promoveatur facilius.

§. XLVII. Ante horum purgantium uſum poſſunt commode vel præmitti, vel interponi ipſa PRÆPARANTIA ET DIGESTIVA, quæ humores tenaces & craſſos incidere, præparare, ~~aperire~~, reſolvere, glutinoſos detergere, acidos & viſcidos, & fixos ac tartareos attenuare, tenues & volatiles refrænare & incraſſare ſolent, id quod optime pro cujuſque ſc. humoris dominio perficitur per aperientia, ſalſa, incidentia, acria, amara, oleoſa, volatilia, urinoſa, item abſorbentia, martialia, teſtacea, terrea, &c. Vel incraſſantia & refrigerantia, adſtringentia, & aquea, diluentia, & humectantia &c.

§. XLVIII. VOMITORIORUM quoque uſus nec hic eſt contemnendus, præſertim in iis quibus Hæmorrhoides conſuetæ ſunt, ubi præſervationis loco antequam ipſe fluxus ingruat, vomitoria, blanda tamen ac mitia ſunt propinanda, præcipue cum videamus naturam τῶν νόσων ἰατρὸν circa ventriculum humores pituitoſos & bilioſos congerere, & per ſuperiora excretionem inſtituere conari, cujus naturæ laudabilis tum conatus arte adjuvandus, biliſque vomitu. evomendus. interim ſecundum STRAUSSIUM *l. c.* non eſt *ut quis vel tam vehementibus vel tam frequenter Emeticis utendum patet, quin potius & ea ſummo judicio ac prudentia moderetur*, *oportet.*

§. XLIX. CLYSTERES quoque ex incidentibus, aperientibus, emollientibus, lenientibus & Anodinis conſarcinati, in Hæmorrhoidibus tum fluentibus tum furentibus pro alvo, adſtricta ſolvenda & humectanda, doloris acerbitate blande demulcenda, inteſtinoque à vitioſorum humorum ſaburra onerato, liberando, commode præſcribuntur; parantur autem ex rad. Alth. lil. alb. malv. ſcrophul. Herb. malv. alth. ☿al, verbaſc, pariet. Flor. linar. verbaſc. melilot. chamom. ſem. carv. fœnic. item ex origano. puleg. Centaur. min. Hyſſop. Abſinth. Elect. Lenitiv. Florenz. hier. picr. Gal. ol. Lini. vitell. ovor. ſacch. butyro. &c. Cavendum autem à fortioribus & acriter ſtimulantibus clyſteribus, ad promovendum Hæmorrhoidum Fluxum in Cœcis à quibusdam uſitatis. Acres enim & vehementes iſti

clyſteres

clysteres ut CRATO *in consil. 174. à Scholtzio collectis p. m. 494.* ait, *ea ne quid dissimulem non probo*; *cum ad ciendas Hæmorrhoides non tantum faciant, quantum intestina & venas mesaraicas lædant.*

§. L. Pariter pro emollienda alvo, ubi Clysterum usus est nullus, etiam adhibentur SUPPOSITORIA è butyro, aliisque emollientibus & dolorem mitigantibus facta, vel parantur è radice cyclaminis, porr. cœpar. raphan. add. sale fossili, sal. gemmæ, felle bubulo, Ol. rutæ, pulv. aloës, sapone, &c. quo suppressæ Hæmorrhoides aperiantur. Caute tamen agas cum hisce acribus, ne sinistre iis adhibitis, pars lædatur, & plus damni quam emolumenti ægro inde oriatur. Ad fluxum præterea sistendum fiunt etiam suppositoria ex Colophon. thur. bol. armen. ceruss. plumbo usto, acac. subtilissime tritis & sevo hircino exceptis, vel pulvere fungi illius crepitus lupi dicti, vel pilis leporinis, telis aranear. ovi album. c. cera. s. Tragacantha exceptis commistis, forma glandis in anum immittuntur.

§. LI. DIAPHORETICA quoque suum hic tenent usum, præcipue cum æger constitutione corporis sit serosiore, pituitoso, phlegmatico atque bilioso, vel ab humoribus excrementitiis serosis, aqueis, salsis, lixiviosis, aliisque per cutem erumpere consuetis, nunc vero retentis & spiracula cutis obstruentibus corpus oneretur, nec non cum adsit habitus corporis, mollis laxus, & ad sudorem facile mobilis, ubi temperata diaphoretica & sudorifera ex Cornu. sc. Cervi s. igne. Ocul. cancr. terra sigill. & similibus pro lubitu, modo rectam eorum administrandi rationem circa τὸ πόσον, χρόνον, καὶ πῶς & modum ipsum teneas, ordinari possunt.

§. LII. Ad serum præterea in corpore peccans corrigendum & evacuandum multum valent DIVRETICA, quæ & Diaphoretica pariter inter se commercium solent exercere, quum in expellendo sero utraque occupentur. Ut ergo in massa sanguinea hospitantes vitiosæ, biliosæ & lixiviosæ scoriæ, & acres, salinæ, Tartareæ & terrestres fæculentiæ, una cum sero malorum horum subjecto ad renes & Urinarias vias deducantur, diuretica eligenda, quæ pro cujusque humoris prædominantis qualitatibus moderanda, si enim viscidiras & lentor simul adsit, abster-

abstergentia, si crassities incidentia, &c. si acrimonia, moderate refrigerantia, humectantia, & acre infringentia & mitigantia addenda.

§. LIII. Pro scopo diuretico quoque & ACIDULAS tædioso hoc affectu laborantibus commendamus, quo scil. corpus à variis serosis, fæculentisq; impuritatibus, & recrementitiis humoribus in variis partibus hærentibus, & ab acidulis copiosius haustis & loca interiora pervagantibus ad Urinarias vias deductis liberetur, obstructiones tollantur, & viscera calidiora attemperentur. Vid. HOECHSTETT. *Decad. V. obs. 2. p. 113. & decad. V. obs. 2. p. 548. & 563.*

§. LIV. Ex ALTERANTIBUS præsidiis consideranda nobis primum veniunt ea, quæ ad fluxum immodicum sistendum ab ipsis ægris expetuntur; suntque vel interna vel externa è vasto isto tricorpori regno, minerali sc. vegetabili & animali desumpta, & ut summatim dicam: sunt vel vulneraria & adstringentia, sanguinem partim incrassantia, partim vi alcalinâ, acida vitiosa absorbentia, partim vasorum læsiones restituentia, vel serum imbibentia, incrassantia, acrimoniam ipsius serosam corrigentia, aliaque sanguinem attemperantia, edulcorantia, refrigerantia, impetum, fervorem & turgescentiam refrænantia, & coërcentia, &c. verum cum horum remediorum ingens sit numerus, ea recensere supervacaneum, cum alias disputatio hæcce nostra in nimiam molem excrescens limites ipsi positos excederet, unum tantum ac alterum quod in hisce affectibus præprimis laudatur, tangam: inter alia est Sanguisorba, cujus decocto D. C. KOLICHEN ut v. est *in Th. Bonet. l. c. l. 3. s. 11. c. 4.* fluxum enormem stitit. Sic Tapsus Barbatus & Chelidonium minus in Hæmorrhoidum affectibus plantæ vocantur appropriatæ, vid. RIVERIUS *l. c.* & SOLENANDER *l. c. p. 381.* Succus quoq; urticæ ad ℥ij haustus, item ligni Lentiscini decoctum vel infusum, Grana item granatorum succulenta egregia, quorum masticatorum ope, fluxus periculosus in viro quodam, antea omnibus aliis irritis, cessavit. v. TH. BONETUS *l. c. c. 14.* Sic Syrupo è rosis siccis fluxus nimius, auctore BORELLO *Cent. 4. obs. 58.* sedatus est. Laudantur & eximie hic Pilulæ de bdellio, quæ ad ʒj assumptæ egregiam ferunt opem ut observavit SOLEN.

f.4. consil.20. & FORESTVS *l.23. obs. 5.* Dens Hippopotami præparatus & assumptus, secretum est Michaelis contra Hæmorrhoides. Pariter spiritus masticхinus, spiritus vitrioli, tinctura hyperici, martis adstring. fructus item adstringentes; terrea & alcalica, ut bolus armenus, corallia, hæmatites, alumen, sanguis draconis, unicornu fossile, CC. ustum, aliaque adstringentia, &c. quæque in Diarrhœis, dysenteriis, & hæmorrhagiis laudantur, hic non contemnendam præstant operam interius adhibitæ, modo dextrum eorundem usum teneas.

§. LV. Externorum remediorum seu Topicorum juvantium materia quoque varia & multiplex, quæ pro diversitate causæ atque subjecti diversimodam etiam sui desiderant applicationem. In usu autem sunt ipsa fomenta, quæ parantur ex radice bistortæ, tormentill. fol. plantag, querc. millefol. fragar. granor. sumach. balaust. malicor. ros. rubr. gallar. virid. &c. & in aqua ferrata, vel vino rubro, austero, & adstringente decocta applicantur, vel vapor decocti calentis ano excipitur. Sic verbascum ejusque flores, in aqua ferrata, vel vino adstring. decoctum instarque fotus applicatum ano, pro fluxu sistendo convenientissimum dicit remedium RIVER. *Prax. l. 10. c. 10. & SENNERT. prax. l.c.* MARTINUS RULANDUS *Cent. 1. obs. 7.* Fomentum laudat è duobus sacculis ex rubro panno conflatis, & glandibus contusis, ac quercus foliis repletus, & in forti aceto multum decoctis, alternatimque calide admotis. Fiant quoque injectiones & insessiones è dictis decoctis, oleis & succis, adstringentibus, suffitus item, sic observavit Dn. D. MAIOR *Ephemer. Germ. Ann. 3. obs. 226.* Quendam Theologum temperamenti serosi, fluxui coërcendo proficuum semper internum Sperniol. Crollii usum, externe in solo myrrhæ & mastiches suffitu naribus percepto præsidium reperisse. CAROLVS OFFREDI, *ut videre est in Theoph. Bonet. l.c. l. 3. s. 11. c. 6.* vidit Fluxum nimium in puello trium annorum per Ol. olivar. infusionis baccarum Solani illius Italis Belladona dictarum, curatum. Sic & varii Pulveres vasorum ora contrahentes, adstringentes, solutam unitatem ac læsiones restituentes, & sanguinem effluentem sistentes inspergi possunt, uti parantur è crepitu lupi, mumia, subere, sanguine exsiccato, musco cranii humani, pilis leporinis, sperniola sicca, lacca rubra, alumine crudo, pulvere sympathetico, aliisque ἰχαίμοις.

 Præter

Præter Linimenta è pulveribus, oleis &c. & adstringentibus dictorum simplicium etiam Unguenta adhiberi possunt, ut est Ung. Comitissæ Augustan. Unguent. ad Hæmorrhoides ZWELFFER. *Pharmacop. Reg. p. m. 279.* Ung. Stypticum Mynsichti Armament. *p. m. 499.* Ung. adstringens Fernel. vel fuligo camini albumine ovi excepta. inuncta dorso & ano Hæmorrhoides sistunt. Sic & Emplastra nonnunqam apponi possunt, ut èst Empl. contra rupturam , Cerat. pro Herniosis Noribergens. &c. nec minus non incommode regioni hepatis imponatur Cerat. Santal. cum extract. cichor. vel simile aliud refrigerans. Pariter & Cataplasmata ex sæpius dictis adstring. & traumaticis in usum trahuntur, ut videre est in PLATER. *tr 3. pr. p. m. 708.* aliisq;. Sic & SOLENANDER *l. c.* plantaginem & verbascum simul tusas ano admovet, & pro firmatione Hæmorrhoidum tanquam singulare aliquod remedium extollit. ALEXIVS PEDEMONTANVS, ut videre est in FROMMAN. *tr. d. Hæmorrhoidibus pr. 2. pbl. 16.* ad Hæmorrhoides una nocte sistendas Cataplasma ex foliis sambuci, in aqua ad pultis consistentiam decoctis, & olei olivarum pauxillo permistis concinnandum, pannoque rubro scarlatino inductum, Hæmorrhoidibus calidiuscule applicandum, sæpiusque per totam noctē ægro in faciem procumbente, renovandum præscribit & commendat. Sic WEDELIO Auctore, citante eum *Th. Bonet. l. c. l. 3. sect. 11. cap. 3.* Fluxus quidam Hæmorrhoidum nimius, aliis mediis facile antehac non ascultans, in fœmina quadam solo hoc Euporisto sc. Polygono sub axillis posito, curatus est. J. HARTM. *Pract. Chymiatr. p. m. 124.* à proprietate quadam cingulum ex foliis Hellebori nigri conquassatis recentibus, nudo corpori circumdatum valere ait. ETTMÜLL. *p. m. 157.* Helleborum album loco nigri magis commendat, & è quibus linteo insutis foliis factum cingulum, ut singulare expertus est LINDANVS ad Hæmorrhoides Fluentes, imprimis, si additur pulvis de corticibus quercus. Sic & Dn. D. CNOEFFEL. *l. c.* cingulum è linteo urticæ crudo, (seu loco hujus cannabino) spermate ranarum insuccato, præ aliis à proprietate valere ait: parant quoque in hunc modum alii cingulum è musco terrestri clavato, C. B. plicaria dicto, vel ex herba bursa pastoris, & similibus. Sed sufficiant hæc , reliqua quæ in usum trahi possent, petantur ex iis, quæ hæmorrhagias aliàs narium, vel uteri, vel fluxus alios,

diarrho-

diarrhoeas ſc. Dyſenteriamque ſiſtere ſolent. vid. BONET. *Polyalth. T. 1. l. 2. c. 49. p. 1047. &c. T. 2 l. 4. c. 35. p. 666. &c. & T. 3. l. 5. c. 18. p. 124 &c.* & G. W. WEDELIUS *d. facultat. medicam. l. 2. ſ. 2. c. 15.* Sed *hujuſmodi adminiſtrationes Empiricas, cum citra moleſtiam & ſumptum adhiberi poſſint, non eſt ut recuſemus : Præcipue ſiquidem in caſu periculoſo fere nihil non agendum ſit : cumque ejuſmodi applicationes eo reſpectu interdum juvent, quod ægri imaginationem corroborant,* ut loquitur WILLIS. Applicanda autem & propinanda dicta fluxum ſiſtentia non in principio, nec ante, quam ubi V. ſectio, purgatio, ſudorifera, aliaque corpus purgantia & alterantia præmiſſa fuerint, ne ex ſubitanea & intempeſtiva earũ ſuppreſſione accidant varia mala in §. 29. ſuperius annotata, & præcipue alvi ſiccitas, è ſiccantium & adſtringentium externorum uſu, quapropter & è conſilio SOLENAND. *l. c.* rarius his ſolis utendum, aut ita in uſu temperanda ea, ne nimium alvum retineant, venis ergo potius remedia adhibenda, & ut utrinque curatio inſtituatur, intro propinandum remedium, quod alvum minus retineat, & topicum foris aliquod admovendum.

§. LVI. Ad HÆMORRHOIDES SUPPRESSAS MOVENDAS & aperiendas, præmiſſis præmittendis, conducunt ea, quæ ſanguinis craſſitiem & lentorem tollunt, ut ſunt omnia incidentia, attenuantia, aperientia, præparantia, ſudorem, item lochia & purgamenta poſt partum moventia, fœtum pellentia, Urinam & menſes cientia, præcipitantia, acidum imbibentia, concretum diſſolventia, ϛάσιν & grumeſcentiam humorum tollentia, obſtructiones reſerantia, & impedimenta in viis ac vaſis removentia, omnia item ea, quæ parte ſui reſinoſa circa partes ani adhæreſcendo eaſdem ſtimulant, ut hoc modo ſtimulata pars, facilius excretionem ſanguinis inſtituat, item ea quæ ſanguini ὀργασμὸν quendam & celeriorem ac impetuoſiorem motum conciliant, ut ſunt omnia calida & ſpirituoſa, & aromatica, martialia, amara, ſalina volatilia, &c. quæ omnia adducere ſupervacaneum eſſe puto, quippe quæ ex Promptuariis Mater. Med. facile depromi poſſunt. Externa autem præſidia, quæ vel poſt vel cum internorum uſu applicanda, conjunctim pro ciendis Hæmorrhoidibus egregiam navant operam : ſint autem iſta vel fomenta blanda & tepida, vel inſeſſus & balnea, tum naturalia tum artificialia, vel

 ungu-

unguenta & Linimenta, & olea & Cataplaſmata, aliaque (de quibus vid. FROMMANN. *pr. 2. pbl. 31.* SOLENAND. *l. c. p. 379.*) extrema venarum craſſo & melancholico ſanguine turgentia emollientia, humores impactos attenuantia, colliquantia, & fluxiles reddentia, motumque eorum blande huc invitantia, poros partis & vias dilatantia, rarefacientia, & archeum excitantia, & imprimis præmiſſis internis, per aliquod tempus circa novilunium vel ordinarium fluxus tempus, adveniente præprimis vere, fluente bene diſpoſito, aurigante, ſeu urgente, & non invitâ naturâ in uſum ſunt trahenda. vid. TH. BONETI *Polyalthes T. 3. l. 5. c. 14 p. 100. &c.*

§. LVII. Penſitatis hiſce, ad NARCOTICA & OPIATA nos conferimus, quæ ad fluxum contumaciſſimum & aliis remediis non cedentem commendari ſolent à Practicis. Hæc quippe legitime uſurpata generalia ſunt Hæmorrhagiarum remedia, dum irritationis ſenſum in hac vel iſta parte excitatum ſopiunt, ſpirituum impetum refrænant, ac motum efferum ſedant, fluxilitatem & impetum erupturi ſanguinis coërcent, & quemvis humorum motum cohibent, ac eorundem acrimoniam tollunt & tenuitatem incraſſant, præcipue ſi cum adſtringentibus & ipſis ſerum incraſſantibus &c. remixta fuerint vid. WEDEL. *Opiol. l. 2. ſ. 1 c. 3 p. 123.* v. & D. GRUBE *de arcanis Medicor. non arcan. pag. 100.* & SENNERTUS *l. c. p. m. 424.* Sic obſervavit D. TILLINGIUS *lib. de laudano opiato part. 4. cap. 19.* quod Laudani uſus Embdæ in Capitaneo quodam, immodicum cum dolore atrociſſimo Hæmorrhoidum fluxum patiente, præmiſſis præmittendis, & fluxum & dolorem omnino ſedarit. loco opii & Pilulæ de Cynogloſſa, vel Syrup. papav. alb. c. aqua hypnotica &c. tutius & cum minore periculo exhiberi poſſunt. Circa enim opiatorum uſum quam cautiſſimi ſimus, ne Angelicam ipſius Opii faciem exuamus & Diabolicam ipſi induamus, uti WILLISIUS aliique, qui commoda & incommoda Opii deſcripſere, ex inconſiderato eorum uſu eveniſſe teſtantur. Danda quippe debitâ, convenienti & exactâ doſi, juxta regulas circa opiatorum uſum obſervandas, danda juſto tempore, non in ſanguinis defectu & penuria, non poſt magnas hæmorrhagias, longas inedias, protractas vigilias, aut diuturnas ægrotationes, ſed viribus adhuc integris, ægroque adhuc robuſto. &c. Pariter O-

ter Opium, ut fluxionum & vigiliarum panacea, ita & Dolorum domitor existit, & anodynorum ac Narcoticorum apex merito audit. Et dum præter dicta Spiritus obtundit, eorumque anomalias & inordinatos motus sistit, ferocientes placat, irritatos & furiosos quasi secundum Helmontium lenit & demulcet, & ex mente Willisii animæ sensitivæ efferationem nimiam & impetuositatem compescit, potentissime inde Sensum partis obtundendo dolorem sedat ac sopit, Interne quidem si cum aqua aliqua appropriata propinetur; Externe, si in majori dosi quam pro interno usu, ipsis Unguentis & Linimentis admiscetur. Dandum autem opium & reliqua Narcotica, (si quæ danda) ubi tenues, calidi & rodentes sunt humores, ut sc. iis torpor inducatur, & humorum tenuitas cogatur; ubi vero crassi & glutinosi humores excruciant, alienissima sint, quæ torporem inducunt, dolorem enim quidem mitigant, sed deteriorem reddunt partium dispositionem, & talis doloris sedatio non est curatio sed deceptio, semper ergo ea adjūgenda, quæ morbum & causam respiciunt.

§. LVIII. Externa in specie, quæ ad DOLORIS HÆMORRHOIDVM *sublationem* conveniunt, non promiscue ut FROMM. *l.c. pr. 2. pbl. 44.* ait. in usu sunt trahenda, sed propter causarum varietatem varianda: Siquidem non unâ semper & eadem de causâ Hæmorrhoides dolent, aliquando immodica caliditas & erysipelatosa constitutio adest, aliquando frigidior materia, aut flatu tument, aliquando corrosivo & erodente sero imprægnantur. Decantata & specifica ut ita dicam, in Hæmorrhoidum dolore sunt sequentia, & quidem Radix Scrophulariæ, de qua vid. *Specul. Med. Pract.* SEBIZ. *pr. 4. s. 2. c. 22.* & MINDERER. *Medic. milit. p. 274.* & TH. BONET. *Polyalth. T. 2. l. 4. c. 35. p. 674.* Bulbus ceparum albarum sub cineribus coctarum & cum butyro recenti subactarum, instar cataplasmatis applicatus & dolorem aufert & tumorem discutit, idem præstant cepæ rubræ c. pulpa lilii decoctæ, & c. ol. myrtino pistatæ & subactæ; nec non radices porrorum sub prunis c. stupis madefactis decoctorum & c. butyro pistatorum atque applicatorum. Singulare & appropriatum ad Hæmorrhoides anodynum est Linaria, cujus flores cum herba coquuntur, cocti c. adipe porcino subiguntur, refrigerato parum decocto

vitel-

vitellum ovi admiſcetur, & cum goſſipio vel lana hoc linimentum parti dolenti applicatur ex commendatione HORSTII *l. 4. obſ. Med. 42. p. m. 287.* vel cum lacte cocta inſtar fotus imponitur. v. HOEFFER. *Herc. Med. p. 195.* HARTMAN. *l. c. p. 123.* Verbaſcum ejuſque flores, aliaque ex verbaſco parata, expertiſſimum etiam ad Hæmorrhoides cœcas dolentes eſt remedium, teſte LOTICHIO *l. 4. obſ. Med. 2.* ETTMÜLL. *fol. 155.* in muliere dolore Hæmorrhoidum affecta, expertus eſt momordicam, cujus poma ſpinoſa & rubicunda in oleo communi infuſa, vel quod melius in oleo lini, dant, (uti ait) oleum ad quævis ambuſta & Hæmorrhoides cœcas aptiſſimum. Folia quoque portulacæ, mandragoræ, hyoſciami, (caute tamen propter adjunctam narcoſin,) chamom. papav, & aliarum herbarum emollientium & anodynarum contuſa, vel cocta, & inſtar cataplamatis, ad ſiſtendum dolorem egregia. Solanum officinarum recens contuſum, & Hæmorrhoidibus cœcis tumidis & valde dolorificis, in matrona 60. annorum applicatum, & tumorem & dolorem ſtatim (aliis fruſtra in uſum tractis) ſuſtulit. teſte BINNINGER *Cent. 4. obſ. 28* Chelidonium quoque minus ad Hæmorrhoidum dolorem à SOLENANDRO *ſ. 4. conſil. 20.* commendatum invenies. Cineres ſuberis uſti c. axungia capi, vel c. ol. myrtino ſpecificum eſt HARTMANN *l. c. p. 123.* cum vitello vero ovi & oleo roſarum linimenti inſtar ſimul commiſcuit, & ita Hæmorrhoidum dolores miraculo quodam ſemper ſedavit FOREST. *l. 23. obſerv. 5.* Ex animalibus Lac vario modo uſurpatum, ad dolorem ſiſtendum egregium eſt anodynum: Unde & cataplasma è medulla panis albi in lacte decocti, addito oleo roſaceo, croco & Vitello ovorum, ſicut in aliis doloribus, ita & hic in Hæmorrhoidibus dolentibus decantatum eſt anodynum; ſic butyrum vel ſolum in mortario plumbeo ductum, ad ſolem donec nigreſcat, ſecund. RIVER *l. c.* vel c. aqua roſacea lotum, deinde cum ovi albumine agitatum & admotum, aut c. oleo lini mixtum, optimum eſſe remedium ad earum dolores & tumores leniendos & auferendos ſcribit BORELLVS *Cent. 1. obſ. 63.* JO. AGRICOLA *Chirurg. parv. p. 139.* Pulverem rubeum colcotharis, ſeu terram vitrioli dulcem in Ung. formam redactam, certiſſimum in doloribus Hæmorrhoidum remedium dicit eſſe. Millepedes, ſeu aſellos in oleo nucum coctos ſedique

inun-

inunctos, ut secretum commendat QVERCETANVS, CROLLIVS scarabeos in equorum recrementis latitantes in cinerem redactos Hæmorrhoidibus inspergit, alii, ut SOLENAND. *l. c.* & AGRICOL. *l. c.* cum oleo lini eos coquunt, & cum bombace loco dolenti applicant, Oleum sambuci, oleum ligni buxi, si illius gutta una supra Hæmorrhoides c. stylo gossypio involuto, &c. ol. sem. lini ℥ß. ol buxi ʒj. misceatur, & apponatur gutta. Sic quoq; ol. septem flor. Mynsichti, ol. sem. papav. lini, hyosciam. flor. verbasc. rapistri. momordicæ, &c. & si inflammatio adsit, oleum rosac. violac. nymphææ, è vitellis ovorum, &c. mire conveniunt; quod & faciunt Ung. rosac. violac. alabastrin. populn. ung. rubr. ex Cynoglossa, refrigerans Galeni, Ung. ad Hæmorrhoides Augustanorum. Balsamus Sulphuris tanquam præstantissimum ad dolorem sedandum & tumorem discutiendum remedium est, teste RIVER. *Prax. l. 10. c. 11.* FONSECA. *l. 1 consult. 22.* RVLAND. *Cent. 1. obs. 87. 86.* & *Cent 2. obs. 33* ETTMÜLL. *f. 156.* *Et* GRÜLING. *Cent. 2. obs. 26.* Pastorem quendam balsamo sulphuris à doloribus Hæmorrhoidum cœcarum statim se liberasse notavit: videatur quoque STRAVSSIVS *Pal. Med. pr. 3. γυμν. 9. §. 13.* & G. W. WEDELIVS *de facult. medic. l. 2. f. 2. c. 19.* Plura hic circa dolorem sistentia non addimus, cum chartæ parcendum sit, qui formulas remediorum cupit, is eorum farraginem abunde inveniet apud Practicos varios, ad quos Lectorem remittimus.

§. LIX. Ad claudendum Pharmaceuticum Fontem, coronidis loco, AMVLETA pro Hæmorrhoidibus tollendis quædam appendamus. Inter quæ, si quod laudem meretur, est Telephium seu Fabaria, quod auctore G. W. WEDELIO *Eph. Germ. Ann. 2. obs. 195. p. 296. firmo dicitur stare talo, & sine ulla superstitione, temporisque vel loci observatione Medicum juxta ægrumque exhilarat. Appenditur vero radix Telephii recens (vel aliquot saltem nodi, prout nodi isti plures, vel pauciores in ano protuberant) cum filo in dorso inter scapulas, simul unde cum marcescente radice, tabescit & evanescit omne tuberculum.* Sic J. G. SOMNERVS *Th. Bonet. l. c. c. 12.* notante, vidit Fluxum Hæmorrhoidum sedatum per radicem cichorii inter utramque scapulam suspensam, &c. vid. SCHROED. *Pharm. l. 4. class. 1. c. 96.* SI. PAVLL. *Quadr. Bot. t. d. cichoreo.* Sic eodem l. c. notante Dom.

Auda

Auda radicem Caryophillatæ montanæ majoris rotundifoliæ in vere collectam & appenſam commendat. Sic Pomum Cardui ſaltem in pera geſtatum Hæmorrhoides pellere ait SWALVE *Diſp. Therap. ſ. 1. p. 26.* vid. præterea & HELMONTIUS *tr. d. lithias c. 2. & in Tr. in verb. herb. & lap. magna eſt virtus.* vid. & OSWALD. GREMBS *arb. integr. & ruin. homin. l. 2. c. 1. §. 5. n. 74.* JONSTON *l. 3. c. 1. de quadrup. p. 117.* alia quæ circumferuntur ſilentio prætereo. Tranſplantationis meminit etiam THOMAS BARTHOL. *Cent. 3. hiſt. 66.* dum ait. Petrus Caſtellus Clariſſimus MeſſanæMedicus, expertus, Hæmorrhoides ſi tangantur tuberoſa radice Chondrillæ, ſiccari, ſi Chondrilla ſiccetur, corrumpi vero, ſi corrumpatur, quare ſub camino exſiccandam ſuadet. Quid autem de hiſce Amuletis & Tranſplantatione & ſimilibus ſit ſentiendum, oculatioribus relinquimus, nos tamen iis non ſemper fidendum eſſe concludimus, cum felix eventus caſui ſæpius quam ipſo medicamento ſit tribuendus.

§. LX. Obſignabimus tandem noſtram de Hæmorrhoidibus Diſputationem per FONTEM DIÆTETICVM, qui longe ſalubria & naturæ magis amica & convenientia ſuppeditat præſidia, quam alii fontes. Victus enim ratio, ut loquitur GUERN. ROLFINC. *Med. Sp. C. lib. 14. ſect. 1. c. 3.* virtutem ægri, robur naturæ, ejuſque conſervationem & morbi profligationem, non minus quam medicamenta omnia procurat. Hinc in omni morborum curatione primas tenere debet ipſa Victus proba rectaque ratio, ſine ea enim vix quidpiam efficies, etiamſi pretioſiſſima & generoſiſſima præſcribas remedia; obſervatum contra ſæpe ſolâ Diætâ neglectis remediis Pharmaceuticis nonnullos convaluiſſe. Quiete enim & abſtinentiâ multi curantur morbi, & ſi abſtineas & ſuſtineas, ſæpiſſime efficies, quod ipſa Medicina nequit. Conſiſtit autem Diæta in legitimo ſex rerum nonnaturalium uſu. Ubi primo occurrit ipſe Aer, qui in HÆMORRHOIDIBVS FLVENTIBVS juxta cauſæ varietatem, & ſubjecti ægrotantis convenientiam eſt eligendus, procurandus & arte parandus, ſit autem utplurimum temperatus, purus, ſerenus, nullis acribus & penetrantibus exhalationibus, fumis, aut vaporibus &c. inquinatus, non nimis calidus, ſed ad frigiditatem, aliquantisper declinans. Cibus ſit refrigerans & ſanguinem tenuem ac acrem nimis, incraſſans & attemperans, & ſalſedinem ipſius rodentem obtundens,

nindens, & profluvium ſiſtens; id quod faciunt alimenta refrigerantia & ſiccantia &c. uti ſunt carnes bubalinæ, leporinæ, cervinæ, anſerum, anatum, &c. aſſatæ potius quam elixæ, non ſalſæ tamen nec fumo induratæ, nec cibi alii ſint ſaliti nimis, vel aromatibus conditi, ſed herbis refrigerantibus potius alterati. Hinc ex vegetabilibus conveniunt oryza, ptiſana cum lacte, amylum, milium, lactuca, portulaca, acetoſa, pulticulæ item ex oryza, avena, milio, amygdalis dulcibus. Et Jo. BAPTIST. MONTANUS *Conſil. 226. p. m. 542.* In fluxu à ſanguine corrodente & bilioſo orto præſtantiſſimum remedium dicit eſſe, mane ſingulis diebus jus pulli pinguis bibere, & quidem copioſe tribus horis ante prandium. Poma præterea & ceraſa & pyra acidula, & cydonia cocta, vel fercula aceto, ſucco granatorum, limonum, malorum aurantiorum, citriorum, agreſta, uva criſpa, berberibus, ribibus, &c. parata conducunt. Pro Potu ſi concedendum vinum, non ſit generoſum, ſed rubrum, ſtypticum & auſterum, vel ſit vinum cydoniatum, vel in quo pruneola ſylveſtria exſiccata contuſa & infuſa ſunt. Vel ſit decoctum hordei c. CCervi raſpato, aut millefol, aut radicis tormentillæ, aut ſanguisorbæ, quo ſimpliciſſimo D. KOLICHEN *in Act. Med. Haffn. An. 1671. obſ. 72.* fluxum Hæmorrhoidum enormem in muliere quadamſtitit. Lac quoque amygdalinum cum aquis adſtringentibus, & Emulſiones ex ſem. 4. frigidis majoribus, Lac item bubulum & caprinum recenter mulctum, vel denique aqua ipſa ſimplex, in qua chalybs, ſ. ferrum, vel aurum candefactum aliquoties extinctum fuit, pro potu ordinario poſſunt concedi. Somnus & Vigiliæ ſint moderatæ, nocet enim utrarumque exceſſus, præcipue vero ipſarum vigiliarum, ſomno vero, ſicut cæteræ omnes excretiones, excepto ſolo ſudore, ita & Hæmorrhoidum fluxus quadantenus ſiſtitur. Hinc & Quies quam maxime imperanda, quæ ægris perutilis eſt, ſolent enim quævis hæmorrhagiæ non citius quam debita quiete ſiſti; contra hic nihil periculoſius & exitioſius eſt quam nimius motus, qui ſæpiſſime malum recrudeſcere facit. Quoad excreta & retenta Alvus quotidie reſpondeat & lubrica ſit, ſin minus talis, is medicamento leniente vel clyſtere proritetur & ſui officii admoneatur. Sic & aliæ evacuationes per menſes, lochiaque fieri conſuetæ, curſum ſuum conſuetum ut obtineant, allaborandum. Animi denique Pathemata valentiora, ut Iram, excandeſcentiam, nimium gaudium, effuſum

risum, studia immodica, aliosque animi motus, quantum possibile est, hic evitare, penitus ex esse, vel ad restitutionis tempus valere jubemus; multum enim, ut DOLÆUS *Encyclop. l. 3. c. 10.* ait. per hæc optata horum morborum curatio impeditur.

§. LXI. In COECIS HÆMORRHOIDIBUS VICTUS RATIO sit contraria ei, quam dedimus in fluentibus. Cibi enim attenuandi, incidendi, aperiendi, humectandi & laxandi vim habeant, carnes sint elixæ potius quam assatæ, & multum aromatibus conditæ, sint vitulorum, agnorum, pullorum gallinaceorum, gallinarum, pipionum, perdicum &c. Panis sit mediæ ætatis, nec recens nimis, nec nimis inveteratus ac induratus. Caveat sibi æger à dulcibus, à caseo veteri, à leguminibus crassis & difficilis coctionis, à salsis item & fumo induratis, aliisque quæ crassum, terrestrem, fæculentum viscidumque generare solent sanguinem. Pro Potu concedi potest vinum ὀλιγόφορον, & si nulla intemperies calida in corpore sit, etiam generosum; hoc enim ut testatur TILEMANNUS *in libell. Aphorism. Hipp. p. 149.* cœcæ sæpe aperiuntur Hæmorrhoides. Somnus nimius, præcipue ubi humores pituitosi & crudi in corpore sunt, vitetur. contra vero magis vigiliis deditus esto. Sic & quietem nimiam fugias, contra labores, varios motus, ac exercitationes corporis magis amplectaris, quo humores in continuo motu sint, faciliusq; ad exitum disponantur, Excreta ac retenta, secundum naturam uti esse debent sint constituta, sin minus talia, qualia esse deberent, arte sunt procuranda. Quoad Animi denique Pathemata, Metum inprimis, mœrorem & luctum diuturnũ ac tristitiam cane angueq; pejus fugias, intermittas quoque studia graviora, profundiores item cogitationes, curas insuper & sollicitudines. Contra animus semper sit hilaris, lætus gaudioque perfusus. Balnea tandem, vestes, integumenta, inunctiones, aliaque ita moderanda, ut rectè applicata & causæ morbificæ & Morbo ipso contraria sint, & ægro nullam afferant noxam. Et hæc sunt, quæ de HÆMORRHOIDIBUS per ingenii mei tenuitatem in hanc chartam conjicere licuit. Tu autem B. L. pro candore & humanitate, quâ in me existis, ea, quæ minus accurate & solide scripta sunt, emendare, ac in meliorem partem, ut interpretari velis, est quod unice rogo. DEO interim T. O. M. pro suâ hactenus in studiis nostris concessâ gratiâ, sit

LAUS, HONOR & GLORIA.